



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digressio 27. De auctrice facultate, ad tex. eundem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

facilius calor expedit. Sed non attritione modo & praemansione dentium preparatur; sed & continuitate meatus ac pellicula ab ore ad ventrem usque extensa. Tum vero saliva, quae est in ore: non illa quidem pituitosa, quae aut ex cerebro descendit, aut ex ventris eruditate ascendit: sed ea, quae ex lingua radicibus & glandulis vtrinque positis suppeditatur. Plurimae namque illuc conueniunt venae atque arteriae, quae maximam alterandici cibi vim habent. Quam ob causam Galenus in 3. lib. de naturalibus facult. & lib. 10. de simplicium medicamentorum facult. & Avicenna in 1. Fen. 1. can. doct. 4. cap. 2. triticum ore praemansum & saliva permixtum maturandi apostema vim habere tradiderunt. Quam profecto non haberet, si cum aqua aut alio modo attritum esset. Et in lib. de inaequali temperie scripsit idem Galenus, viperam salivam homini esse perniciosam: rursusque humanam salivam viperam scorpionumque necare, si ieiunus inspuat: imò, ut est in 3. lib. de naturalibus facultatibus bestias omnes magnopere laedit. Fit etiam interdum, ut vnius hominis saliva obfit alteri; ut propterea fortasse ex politia inter homines bene moratos institutum sit, ut vnus alterius vitro ad potum non vtatur. Quod si tantam vim habet saliva; multo magis ad primam illam ventris coctionem praeparare poterit & quoquo modo afficere cibum. In ea porro totus in chylum mutatur; tum propria ventris virtute; tum aliorum membrorum ope; iecoris praesertim, quod quasi manus quaedam illum apprehendit, atque ex superiori parte fouet & ad coquendum suo calore iuuat. Tum vero lienis ex sinistra parte, omento & abdomine toto ex superiore, arteriaque magna ex inferiore. Vnde intelliges obiter, salivam esse ad latus dextrum dormire, quam ad sinistram. Sic enim & lien amplectitur optimè & fouet ventrem, & cordis operatio minus impeditur. Mutato in chylum alimento nutritur statim venter, ut in lib. de humoribus positum est: eoque sufficienter recreato, reliqua pars minimè illi necessaria pilero aperto ad intestina effunditur, perque mesenterij venas trahente iecore, quidquid est vile ac nutriendo corpori opportunum, ad illud ascendit. Sed in illis interim venis non nihil rubescit, sensimque ad perfectiorem sanguinis coctionem in iecore futuram disponitur. A iecore humoribus reliquis separatis, aut solus sanguis, aut certè cum aliqua illorum parte permixtus, ad omnes corporis partes, tum superiores, tum inferiores, per venam cauam distribuitur. Deinde sanguis calore spiritus, qui arteriis venas ubique comitantibus continetur, tenuatur magis ac perficitur; absque nona tamen coctione, quae substantiae mutationem adducat. Atque ex illa item parte, quae dextrum cordis subit sinum, gignitur spiritus; non coctione aliqua, & ideo nulla ibi excrementa; sed sola tenuissimarum partium resolutione. Porro sanguis ille, qui per reliquum corpus in venis fusus est, à singulis attractus partibus capillares venas ingreditur, & in earum extremitatibus in primum mutatur humorem secundum, deinde in reliquos, tum demum in membrorum substantiam.

*Tres in nutritio* Ergo tres omnino sunt in tota nutritione coctiones praecipuae: Prima in ventre; cuius praeparatio in ore, & excrementa faeces. Altera in iecore; cuius praeparatio in mesenterij venis, & ex-

*saliva*  
*vis.*

*Cubatio*  
*saluaris*

crementa vrina. Tertia in membris; cuius praeparatio, tum in venis actione cordis per spiritum in arteriis diffusum, tum in capillaribus per mutationem in humores secundos, si à primis illi essentialis non distinguantur; & excrementa fordes, sudores, ac superfluitates caetera; ex quibus pili, vngues, & alia partes excrementosae. Quod si essentialis esset distinctio primorum & secundorum humorum; quartam oporteret coctionem addere, quae in extremis capillaribus fieret.

In plantis simile quidpiam cernas. Prima namque coctio est in radicibus; quam ob causam non immeritò affirmavit Mnesitheus in opere de alimentis (tametsi non omnino probauerit Galenus in 2. lib. de aliment. facult. cap. 61.) radices omnes plantarum coctum difficiles esse; quòd humorem multum minusque bene coctum continent, qui magis deinceps in caeteris partibus coqui debeat. Altera enim coctio fit in trunco; tertia in ramis. Nisi primam dicas fuisse in terra, illaeque propterea naturam non dedisse ventrem, nec organa caetera, quae in animalibus inlunt: quòd alimentum magna ex parte confectum & coctum trahant ex terra: alteram in radicibus, tertiam in trunco & ramis. Haec tamen de altrice facultate iam de auctrice.

#### DIGRESSIO XXVII. De facultate auctrice.

Quid habeat commodi facultas altrix, quidque assequatur operando, dictum est. Quemadmodum enim ad indiuidui conseruationem comparata est tota; sic illud diligentissimè procurat, ut substantiam continenter addat; quae id, quod aliarum causarum iniuria consumptum fuerat, reflatuatur. Ita vero in id munus incumbit, ut omnes suas vires in illius indiuidui salute atque incolumitate procuranda libenter impendat. Et ita quidem strenuè agit, ut non solum consumptam substantiam viuenti restituat; sed multo quoque ditioerem ac locupletioerem reponat. Ea est huius facultatis vis & benignitas; ut quando viribus fuerit integris & ad agendum robusta, maiorem semper substantiam in viuente horrea comportet, quam omnes inimicae causae depalcant & dissipant. Quocirca non solum non patitur viuens aliquod detrimentum; sed auget potius & amplioerem suam substantiam facit. Cum autem vis illa benefica nimio hostili impetu frangitur non auget quidem amplius patrimonium viuentis, sed tamen nec statim dissipatur. Nam dum eadem virtus incumbit operi, ac pro viuentis hereditate fortiter pugnat; illud saltem obtinet, ut primum quidem à maiore damno tueatur; deinde vero magis debilitata & fracta vix possit ab extrema pernicie vindicare: sed acie demum profligata, ipsa quoque cum viuente occumbat. Haec in eum finem dixi; ut id intelligatur, quod antea docui, eandem re facultatem esse, quae & substantiam reficit, & auget, tandemque minuere videtur. Reficit, dum alimentum in viuentis substantiam mutat. Auget, quando potens est & robusta; maioremque illius quantitatem reponit, quam fuerit detractum. Ac demum minuit, dum debilitata & fracta tantum nequit restaurare, quantum fuit estusum.

Etenim duplex omnino est facultatis huius operatio.

ratio. Altera, dum alimentum in viventis substantiam mutat. Altera, dum tantumdem mutat, aut plus, aut minus. Atque in hoc ipso aut considerare possumus vim ipsam mutationis vnius substantiæ in aliam: aut rationem tanti aut tanti, maioris scilicet, minoris, aut æqualis. Commutatio tota ad nutritionem pertinet, siue plus mutetur, siue minus, siue æquale. Nam hæc modos quantitatis significant. Quare si in commutata substantia rationem quantitatis spectes, quatenus ea tanta est, aut tanta: hoc iam facultatem aliam constituit ab alterice distinctam. Vt verissimè fuerit pronuntiatum in tex. 47. & in priorè lib. de ortu & interitu text. 41. utramque hanc facultatem habere idem re obiectum; quòd utraque circa alimentum versetur: Sed ratione ac forma differens; quoniam altera circa illud versatur vt est substantia, altera vt quantum.

Verum dum hanc mutationis rationem consideramus; ignorandum non est, eam versari solum circa substantiam, nullò modo circa quantitatem. Tum quia vt prima materia, ita & quantitas, quæ illius proprietas est, mutari non potest: sed & eadem materia & quantitas cibi viuenti apponitur. Tum quia vt ad primam materiam nullus est motus, ita nec ad quantitatem: utraque enim ortus omnis & interitus expers est. Tota igitur nutritionis mutatio fit ratione formæ: dum materia, quæ viuenti formam habebat, viuentis formam suscipit; eademque illius & materia & quantitas materiæ & quantitatis huius apponitur. Atque hæc appositio, quatenus est substantiæ, totum viuentis reficit & restaurat; quatenus quantitatis, facit maius, æquale, aut minus. Vt enim substantia per se considerata extensionem nullam habet aut magnitudinem; sed hæ in quantitate spectantur: ita non potest illa augere, minuire, aut facere æquale; sed hæc ad quantitatem pertinent.

Ita distinctionem formalem habemus facultatum altricis & auctricis; earumque identitatem realem. Nam eadem facultas, quæ substantiam commutat, quantitatem quoque addit & auget. At quoniam refectio additione substantiæ & maioritas appositione quantitatis magnopere distinguuntur; realem illam facultatem in duas partitur: quarum alteram, quæ substantiam restaurat, altricem; alteram, quæ quantitatem auget, auctricem nominamus. Inde etiam intelligimus, quæ facit maius, æquale, & minus, non modò re, sed & forma vnam esse. Nimirum est idem re cum facultate altrice, quæ circa alimentum versatur, vt est substantia: & idem forma cum auctrice, quæ circa illud idem occupatur vt est quantum. Quare cum ad eam spectet totum alimentum sub ratione quanti consideratum; cum ratio quanti non sit nisi vna; sicut & ratio substantiæ; plures nequeunt esse facultates, quæ circa quantitatem occupentur; quemadmodum nec plures circa substantiam versantur. Imò vt est vna, quæ per totam vitam nutrit, additque viuenti alimentum sub ratione substantiæ, tum in prima etate, tum in statu consistentiæ, atque aded in extrema conditione: sic vnica est, quæ circa idem alimentum versatur, vt est quantum: in tota scilicet vita. Neque enim differt nisi secundum magis & minus, per-

fectius & imperfectius. Vt quandiu perfectissimè operatur, facitque viuentis maius; tandiu augere existimetur: quando autem minus perfectè, conservando scilicet duntaxat quantitatem eam, quam augere non potest; nutrire solum dicatur; non augere; proprioque careat homine, quòd nullam quantitatis mutationem faciat: ac demum si tantopere fuerit debilitata, vt ne æqualem quidem quantitatem addat, dicatur minuire. Quod tamen ex accidente facit; quia non potest amplius tantum apponere, quantum superiore tempore apponebat.

Cur verò facultatis huius operatio tam sit varia, eam sapientissimi quique Philosophi rationem esse iudicarunt quam in superioribus quoque significavi: quòd natiuus calor, quo ea vt adiutrice causa opus suum perficit, continenter debilitatur. Principio enim robustior maiorem alimenti partem, deinde debilitatus & fractus minorem commutat nutriendo: & ided maiorem interdum, aliàs minorem viuenti quantitatem addit; eademque facultas vt perfectius aut imperfectius instrumentum habet, modò augere creditur, modò minuire. Cæterum de hac facultate vniuersè satis dictum est: atque expositum, proprium illius obiectum esse alimentum, vt est quantum: operationemque propriam, facere viuentis maius, æquale, aut minus.

Deinceps examinandæ sunt difficultates grauissimæ, quæ de hac operatione proponi solent. Ea extrinsecus accedente aliquo fieri debet, vt in priorè lib. de ortu & interitu text. 31. & 33. confirmatur: acquisitione inquam nouæ quantitatis. Nam & nutritionem consequitur, qua noua substantia acquiritur, quæ adiunctam habet quantitatem: & nisi noua accederet quantitas, nil aliud esset viuentis accretio, quàm rarefactio. Hoc autem accretionem à rarefactione distinguimus, quòd accretione res maior euadat quãtitate addita; rarefactione autè, sola eiusdè quantitatis extensione: quare deficiente extrinseco alimento, quo apponatur quantitas, accretionem viuentium impediri manifestè animaduertimus. Sed si ea quantitatis additione augentur, eiusdem detractio minuitur: hancque ipsam ob causam decretionem distinguere volumus à densatione.

Cum autem quantitatem auidis de nouo acquiri aut detrahi; eam ne credas de nouo produci aut corrumpi: quoniam cum sit inseparabilis à materia, nullus est motus, quo aut producatur vquam aut corrumpatur. Sed propterea dicuntur accretio & decretio esse motus ad quantitatem; quòd maiorem, quàm haberet, acquirit viuentis quantitatem, aut aliquam illius partem amittit. Non ergò producit quantitas, quæ non esset, aut corrumpitur ea, quæ iam esset: sed quantitas, quæ erat alimenti, apponitur viuenti; aut quæ viuentis erat, ab illo detrahitur, & fit alterius; quòd ex ea materia producitur, quæ ab illo separatur. Ita nimirum in tex. 37. paulo ante notato accretio definitur esse existentis quantitatis additio, decretioque eiusdem detractio. Eodem enim modo illud ipsum viuentis dicimus nouam sibi materiam acquirere aut amittere; cum tamen materia neque ortus capax sit neque interitus. Propterea fieri numquam accretio potest, nisi substantia generatio ante cedat. Ea est nutritio.

*Prima proprietas accretionis.*

*Accretio ut à rarefactione distinguitur.*

*Ut quantum de nouo acquiratur.*

*Eadem facultas non modò re, sed & forma vnica.*

48  
repa-  
um in  
nuta-  
ellen-  
s, fu-  
s pili,  
hòd si  
undo-  
nem  
mam-  
non  
eali-  
Gale-  
dices  
d hu-  
onit-  
is co-  
ter-  
illif-  
nec  
quod  
tum  
um in  
iam  
dque  
mad-  
nem  
ocu-  
id,  
fue-  
it, vt  
quæ  
Et  
um  
illo  
Ea  
diti  
ma-  
om-  
e &  
vi-  
tem  
ituri  
nem  
um  
hæ-  
er, vt  
inde  
tre-  
gata,  
eum  
ocul,  
tiam  
ecur.  
itan-  
& ro-  
onit,  
dum  
uan-  
ope-  
atio.

Cum enim quantitas per se acquiri non possit, nec amitti; sed perpetuo comiteretur substantiam, hoc est materiam; noua prorsus acquiri non potest, nisi acquisita substantia; quam viuens non nisi nutritione consequitur. Dum agrotant corpora, videntur interdum augeri: quo tempore aut vix nutriuntur, aut certe non tam copiose, vt maiorem substantiam acquirant, quam amittant. Sed ea non est vera accretio: neque re ipsa fiunt corpora maiora, sed sensuum iudicio longiora fieri videntur, dum macilentiora euadunt. Tenuiora enim quae sunt longiora, iudicantur.

*Secunda pro-  
prios.*

Quocirca optimè Philosophus in commemorato tex. 33. accretionem dixit omnibus viuentis partibus fieri debere, & vt est in tex. 14. huius secundi lib. de anima, ad omnes situs differentias. Causam ex nutritione petendam esse significauit. Nam cum ea alimento intus suscepto & in omnes corporis partes distributo omnes omnino reficiat: accretionem quoque necesse est ad omnes partes ac dimensiones pertinere. Augentur autem proprie ex sola parte, quae proprie viuentis partes sunt animatae, communi vita & nutritione fruente. Pilos, vngues, & id genus alia, quae augeri videntur; vt proprie partes non sunt, nec animam habent, nec nutriuntur; ita nec proprie augeri dixeris. Quae partes proprie nominantur, augentur omnes: at non sine summa prouidentia, specialique sine naturae proposito. Calor enim qui partes omnes nutrit, cum sit robustior & naturaliter operetur, tam copiose nutrit, vt plus substantiae & quantitatis addat, quam ad naturam viuentis conseruandam opus sit: dumque partibus omnibus addit, omnes augeri necesse est. Natura vero conatur perducere viuens ad debitam perfectionem, quibus quam optimè operari possit.

*Cum ma-  
ior cor-  
porum  
longitu-  
do, quae  
latitudo,  
aut  
profunditas.*

Maior tamen est corporum longitudo, quam latitudo, aut crassitudo. Quoniam longiora primum facta fuerunt; augenturque eadem proportionè deinceps. Praesertim cum ea quantitas & figura corporis & membrorum operationibus omnibus obeundis esset opportuna. Accedit, quod calor, cuius opera augentur corpora, sursum potius, quam in aliam partem, mouet. Tum vero etiam propter sensiones & incessum. Quae enim eam corporis conformationem non habent, agere mouentur vt pueri, limaces, testudines, reptiliaque omnia, quae vnam partem per aliam trahunt.

*Tertia proprie-  
tas.*

Postremo in eodem tex. 33. eam voluit esse accretionis vim, vt in ea tota idem perpetuo persistat viuens. Quae de re grauissima est inter interpretes disputatio, de qua quid ego sentiam, post exponam. Nunc proprietates hasce duas ob causas commemorauit. Primum, vt veram & propriam accretionem separaret ab illis, quae speciem accretionis quamdam habent. Nam quemadmodum prima proprietate, quae additionem postulat quantitatis, à rarefactione distinguitur; sic duabus reliquis, quae & partes omnes augeri & totum manere idem volunt, separatur ab ea, quae extrinseca materiae appositione quidpiam fit maius.

Altera causa fuit, vt accretionis definitionem

inde colligeres. Aristoteles enim dum nouae quantitatis acquisitionem considerauit, eam dixit in tex. 25. eiusdem lib. de ortu & interitu, esse motum ad maiorem quantitatem: & in tex. 31. esse existentis magnitudinis additionem. Sed qui omnes illius proprietates complecti voluerit; motum esse viuentis affirmabit à vegetante anima nativumque calore factum, aliquo extrinseco accedente, quo viuens idem persistens ex minore quantitate ad maiorem & ex imperfecta ad perfectam, per omnes partes progreditur; vt quam optimè & suae naturae congruenter operari possit. His enim verbis omnes accretionis causa atque adeo tota illius vis & natura continetur. Iam ad pluriorem singulorum explicationem accedendum est.

Dum viuens augetur, plures omnino fieri mutationes necesse est. Cum enim augeri debeat noua quantitate accedente: neque haec per se produci possit, sed materiam quoque aliquam oporteat addi, quae quantitatem adducat: habet accretio nutritionem adiunctam. Atque in vtraque plures sunt mutationes. In nutritione primum tota cernitur antecedens alteratio, quae plures etiam habet mutationes substantiae, quibus alimentum dissimile sensim fit viuenti simile. Deinde in vltima mutatione alimenti in viuentis substantiam perit alimenti forma; sanguinis scilicet, qui vltimum esse alimentum existimatur. Tum vero forma gignitur illius partis propria, quae alimentato reficitur. Atque haec mutatio duobus modis considerari potest. Primum vt est productio cuiuspiam formae substantiae. Quomodo generatio dicitur, fitque subito, quia forma est impartibilis. Deinde ratione materiae & subiecti, in quo suscipitur. Atque ita cum non producatur ea forma per se, sed vt alterius pars; neque in subiecto seorsim existente, sed in alimenti materiae viuenti adiuncta; ad generatio potius appellatur, quam generatio; vt ex tex. 39. libri notati distimus: habetque successionem quandam & tempus, dum non tota alimenti substantia simul in poris suscipitur; nec tota simul, sed per partes viuenti adiungitur; vnaque pars prius, quam alia, viuentis formam suscipit: formam inquam, cum illius partis, in quam mutatur; tum demum animam velut communem vitam totiusque formam.

Verum haec omnes mutationes circa alimentum versantur, vt est substantia, nutrientisque facultatis obiectum. Cum iis vero, quaedam aliae coniunctae sunt, quae in eodem alimento spectantur, vt quantum est & auctoris facultatis obiectum. Prima est additio quantitatis alimenti quantitatis viuentis, eiusque acquisitio in viuente, quod nutritur; atque vt ex alimenti substantia consumpta substantiae iactura resarcitur; ita ex illius quantitate quasi cum fenore detracta magnitudo recuperatur. Altera quae hanc consequitur, extensio, quaedam est & dilatatio. Maiore enim quantitate addita extensionem quandam consequi necesse est, nisi quid prohibeat, vt est in tex. 32. lib. 8. Phys. Tertia hinc oritur loci maioris acquisitio. Vt enim quantitati conuenit locus, ita maior quantitas locum maiorem postulat.

Quoniam igitur tam multae mutationes adsumuntur, quarum ea quidem, quae antecedens alteratio est, alimentum ad caeteras omnes praeparans, omnium prima

prima est temporéque antecedit : relique autem omnes perficiuntur simul, naturaque dumtaxat vna prior altera iudicari potest : difficile semper fuit constituere, in quam earum potissimum propria vis accretionis consideranda esset.

Qui eam dixerunt vnam aliquam mutationem non esse, sed commemoratarum omnium congeriem; iure optimo reprehensi fuerunt à Martilio in quæst. 10. in librum sæpe citatum. Nam vt ea taceam, quæ ab illo proponuntur; ex pluribus Philosophi locis manifestum est, accretionem speciem esse quam motus ab omnibus distinctam. Et ex text. 31. lib. 5. Phys. didicimus, vnitatem motus ex termini vnitare iudicandam esse: atque accretio non solum vnus motus esse existimatur, sed vnum quoque terminum habet, quantitatem, cuius acquisitione viuens euadit maius. Nam etsi plures mutationes sint cum hac quantitatis acquisitione coniunctæ; si tamen singulas attentè consideres & accuratè distinguas, alias omnes intelliges extrinsecas esse, partim accretionem antecedentes, partim comitantes. Certum etiam est Peripateticorum illud principium; Motum seu mutationem esse idem re cum termino: nec minus firmis rationibus demonstratur, quantitatem re ipsa distingui à substantia. Ex his enim duabus propositionibus consequens est, ad substantiam & quantitatem duos esse oportere distinctos motus; accretionemque motum à nutritione diuersum significare. Neque cogitandum est, nutritionem accretionis partem esse. Tum quòd ea nobilior multò sit operatio; neque mutatio in substantia accidentarij motus pars esse possit. Tum quòd ab Aristotele commemoratæ semper fuerunt tanquam species motus primò diuersæ; quæ ne synonimo quidem genere conuenirent, vt nec substantia & quantitas conueniunt. Tum demum communis est penè omnium notio, nutritionem substantiæ, accretionem quantitatis acquisitionem significare; diuersarumque facultatum, nutriticis & auctricis, ratione saltem & forma distinctarum, operationes esse.

Quapropter minus etiam Martilius accretionis naturam assequutus est: qui generationem esse affirmavit maioris substantiæ partis, quam consumpta fuerit. Eam tamen ad generationem maluit appellari: quoniam generatio propriè nominatur, si aliquid per se existens producat; accretione autem substantia producit cum reliquo viuente coniuncta, tanquam illius pars. Atque accretionem quidem appellauit, si maior adgeneretur substantia, quatenus facit maius: nutritionem, quatenus consumptam substantiam reitaurat: Decretionem, si minus: si tantumdem, nutritionem solum: hasque omnes mutationes ratione dumtaxat distinxit.

Eandem fuisse recentiorum sui temporis sententiam, Augustinus Niphus testatur. Sed iam demonstratum est, necessarium esse accretionem distinguere à generatione seu nutritione; esseque speciem motus per se ad quantitatem; ab ea diuersam, quæ est ad substantiam. Præsertim quòd Arist. vbiq; docuit, generationem subito fieri, accretionemque motum esse successiuum, qui cum tempore perficiatur. Et hic quidem respicit totum; quod & maius fieri, & mutare locum, & idem semper manere affirmatur: ad generatio vero

eam potius partem, cui fit substantiæ additio; quæque antea exhausta alimento repletur & reitauratur.

Quæ omnia si vera sunt, illud quoque fuerit perquam certum, accretionem neque alterationem esse, neq; localem motum. Nam & diuersæ sunt species motus: & alteratio quidem ad qualitatem: nec accretionem modò, sed substantiæ quoque generationem antecedit, nec loci mutationem necessariò adiunctam habet: accretio & est ad quantitatem, & substantiæ generationem consequitur, maiorisque loci acquisitionem adfert. Localis autem motus ad locum est, seu vbi: atque in omnibus entibus naturalibus cernitur: & in iis, quæ augentur, aq;uisitio loci consequitur accretionem: quæ & in solis viuentibus est, & ad inharentem ipsis eorumque corpora extendentem quantitatem; non extrinsecis ambientem; quemadmodù locus, ex quo deducitur vbi

Extensio fortasse illa partium viuentis, quæ alimenti in substantiam eius commutationem consequitur, fucum faciat cuiuspiam; quemadmodum fecit Burleo, dum tex. 6. lib. 3. Phys. interpretaretur; & Ianduno in quæst. 10. lib. 4. & quæst. 7. lib. 8. & M. Antonio Timara in tabula, verbo Motus definitio est ambigua, aliisque non paucis: qui eam crediderunt propriam accretionis rationem continere. Nam dum caro repletio noua carne ex sanguine genita omnibus poris extenditur, & ad maiorem transit quantitatem; & quidem cum successione & tempore; & est maioris loci aq;uisitio; & Aristoteles quoque in illius lib. tex. 25. apertis verbis scripsit, id quod augetur, esse vt id, quod extenditur.

Multis argumentis hanc sententiam confutauit Petrus Pomponatius in priore libro, quem de accretione & nutritione promulgauit; quæ collegit M. Antonius Timara, & paucos ante annos Iacobus Tabarella in cap. 8. lib. quem sub eodem titulo scripsit. Ego verò dum Philosophi scripta considero; in tex. 31. accretionem reperio definitam fuisse nil aliud esse, quam existentis magnitudinis additione; & in tex. 34. dum quæreret, quidnam id esset, quod propriè augeri diceretur; id solum propriè augeri respondit, cui additur alimentum quantum. At si accretio foret extensio, parum sapienter respondisset. Non enim esset formaliter quantitatis additio: neque illud solum dicendum esset augeri, cui alimentum quantum additur, sed ipsum quoq; alimentum additum. Siquidem non minus illud extenditur, quam viuentis pars, cui additum est. Præterea in tex. 41. & in hoc 2. lib. de anima textu 47. accretionis obiectum voluit esse alimentum quatenus quantum est: sicut nutritionis obiectum quatenus substantia est. Quemadmodum igitur nutritio, dum circa hoc obiectum versatur, nil aliud est, quam aq;uisitio substantiæ: ita nil aliud esse formaliter accretionem existimauit, quam quantitatis aq;uisitionem. Denique aperta oratione localem motum distinxit à cæteris in tex. 59. libro 8. Phys. quòd in eo nulla realis entitas aq;uisatur in eo, quod mouetur: in alteratione & accretione aq;uisatur semper, in illa qualitas, in hac quantitas: at extensione illa per se considerata nihil rei aq;uisitur. Nihil enim aliud videtur esse, quam aut rarefactio quædam, aut localis motus, aut mutatio situs. Accretionem non esse rarefactionem, manifestum est. Tum quia, vt antea

Terria  
Et quæ  
ta opi  
nia

Quinta  
opinio.

Accre  
tionem  
non esse  
rarefactio  
tionem.

Prima  
de accre  
tionem  
naturæ.

Secun  
da opi  
nio.

adnotari, propterea Philosophus eam posuit accretionis conditionem, fieri accedente aliquo; ut eam à rarefactione distingueret, quæ nullam quantitatis, ut nec materiæ, additionem habet. Tum quia rarefactio interdum raritatem eam producit, quæ qualitas quædam est: eamque certum est motum esse ab accretione distinctum, quæ quantitatis, non qualitatis, acquisitionem significat. Interdum autem non qualitatem, sed solum quantitatis modum diuersum adfert; quemadmodum cum spongia manu compressa dilatur aperta manu. At hæc rarefactio nil aliud est, quam localis motus, aut mutatio situs; quibus nihil acquiritur in eo, quod mouetur: suntque motus ab accretione profus distincti, cum ex termino species quæque motus essentia distinguantur. Postremo illud verè disputari potest, extensionem illam accretione posteriorem esse, quantitatisque acquisitionem consequi, in qua voluit Philosophus accretionis naturam versari. Non enim aliam ob causam extenditur viuens, nisi quod maiorem acquisierit quantitatem, quæ ampliorem postulat locum: neque extensione aliud quidquam acquiritur, quam extensio maior in ordine ad locum, ex qua loci ampliori consequitur occupatio. Si igitur ante extensionem acquisita est quantitas, quæ corporis omnes partes extensæ in se fuerunt & grandiores factæ; & idè ad maiorem locum extenduntur; ante extensionem perfecta omnis accretio est: neque hæc in extensione, sed in antecedente quantitatis acquisitione, ex qua extensio nascitur, consideranda est.

Non igitur propterea scripsit Philosophus, id quod augetur, esse quædam id, quod extenditur quod accretionem crederet extensionem esse; sed quod adiunctam extensionem habeat: sicut in tex. 32. libri quarti Phys. dixit esse speciem motus localis, quod adiunctam habeat loci maioris acquisitionem: imò non affirmavit extensionem esse, sed similitudinem alterius proposuit (quemadmodum id, quod extenditur) nihil autem explicatur per se ipsum, neque cum se ipso comparatur. Voluit autem illis verbis à cæteris speciebus motus accretionem distinguere. A generatione, & alteratione; quia generari potest quidpiam aut alterari in eodem loco manens; augeri non potest, quin maiorem acquirat locum. A motu locali; quia quod eo motu mouetur, totum ex vno loco ad alium mutatur; quod autem augetur, eodem retento loco ampliorem acquirit: quemadmodum id, quod extenditur, priorem locum non deserens ad ampliorem sese dilatat. Hæc est vera verborum illorum sententia.

*Sexta opinio.*

Sunt qui accretionem quædam partium propulsione fieri arbitrentur: freti nimirum auctoritate Philoponi in interpretatione tex. 31. & 39. illius lib. & Alexandri sub finem lib. de mixture. Ut quemadmodum in canali aqua pleno, dum alia additur aqua, hæc priorem pellit; sic in viuento corpore, dum alimentum accessit, atque in poris susceptum est, vna pars aliam pellit ac trudit, & hæc aliam, totumque corpus fit maius: quo modo ferè vngues & pili crescunt.

Cæterum quod magis in propulsione apparet localis motus, eo minus accretionis natura exponitur. Imò si ita esset, accretio violentus esset mo-

tus: siquidem in tex. 10. lib. 7. Physic. propulsio species est localis motus, violenti potius, quam naturalis. Et cicatrices seu macule, quæ insunt in vna corporis parte, tempore procedente pel-lerentur ad aliam: quæ in eadem semper parte visuntur. Neque ex vnguib. & pilis sumere licet argumentum. Quoniam ut animam non habent, nec propriè sunt corporis partes; ita nec propriè augeri dicuntur, sed sola terrei excrementi ad vnam partem appositione moueri pulsione vnius partis ab alia.

Nimius cuiuspiam fortasse videar in aliorum opinionibus, tum recensendis, tum confutandis. At in difficili loco versamur: & dum quid alij dixerint accuratè examinatur, quid dicendum sit tandem intelligitur. Ergo ab ipsa nominis notatione factò principio, manifestum est, augeri nil aliud significare, quam fieri maius; auctioremque maioritatis acquisitionem esse. Et quoniam maius & minus in quantitate considerantur, quemadmodum & æquale & inæquale; manifestum item est, auctiorem mutationem quantitatis significare: quod in priore de ortu & interitu lib. tex. 25. 26. & 31. confirmatur. Ea potest duobus modis fieri. Aut enim propterea equat maior aut minor, quod noua accedit quantitas; aut pars illius, quæ erat, quæpiam detrahitur: aut propterea id fit, quod eadem quantitate manente mutatur illius modus, extensio scilicet in ordine ad aliud, commensuratio aut occupatio loci; dum ea quantitas magis extenditur, aut contrahitur. Quantitas à materia non separatur. Prior igitur illa mutatio in quantitate, quæ additione fit aut detractione, fieri omnino non potest, quin addatur quoque aut detrahitur materia: quemadmodum si aquæ addatur aqua, fit maior aqua, detractaque aliqua eius parte fit minor: quod & materia & quantitas addantur, aut detraherentur. Posterior autem, quæ non quantitatis, sed modi & termini quantitatis mutationem adfert; nec quantitatis, nec materiæ additione, aut detractione indiget. Nam dum ex aqua fit ær, rursumque ex ære aqua, eadem semper est quantitas & materia; quæ dum rarefcit aut densatur, maior fit aut minor, solo quantitatis modo aut termino mutato. Sed ut in priore mutatione non posset mutari quantitas, nisi mutaretur materia; sic in hac posteriore dum eadem manet materia & quantitas, mutari non posset terminus & modus quantitatis, nisi in materia fieret mutatio formæ, sicut enim materiam quantitas, ita terminus quantitatis formam sequitur. Non est tamen necesse mutari semper formam substantiæ, quemadmodum mutatur dum ex aqua fit ær, aut ex ære aqua; sed interdum satis est solam accidentis formam mutari, siue qualitatem quampiam, quæ vim habeat agendi, densandi inquam, aut rarefaciendi; ut cum idem corpus densatur frigore, aut calore rarefcit: siue etiã figuram solo motu locali; ut cum spongia manu comprimitur, & post aperta manu dilatur & extenditur. In priore autem mutationis genere, dum materiæ & quantitatis mutatio fit, nulla persæpè est mutatio formæ: quemadmodum si simile addatur simili, ut aqua aquæ: interdum verò etsi in materia, quæ additur, mutetur forma, dum dissimile quidpiam additur, quod in illius,

cui additur, naturam tranſit; vt ſi ligna apponas igni: quia tamen in materia addita producitur forma illius, cui additio facta eſt; nullam dicimus fieri mutationem formæ. Sicut enim illud, quod augeri dicitur & quantitatem mutare, eſt id, quod idem manens maioritatem acquirit aliquam; ita in illo ipſo mutationes has omnes conſiderate oportet, affirmareque in priore auctoris genere eadem manente forma mutationem eſſe in materia & quantitate: in poſteriore autem in eadem materia & quantitate formam & quantitatis terminum ac modum variari.

Viuentia porro certum eſt nequaquam mutatione formæ ac termini modiue quantitatis augeri. Tum quia formæ nulla potius mutatio cernitur. Tum quia dum eorum corpora exhauriuntur perpetuo & conſumuntur, ſuſceptoque alimento refarciuntur: manifeſtum eſt continentem quandam fieri mutationem materiæ, huiusque mutatio quantitatis quoque mutationem adducit. Ita nimirum in tex. 31. & 33. affirmavit Philoſophus viuentium accretionem aliquo extrinſecus accedente fieri, additione ſcilicet materiæ & quantitatis, vt eam à rarefactione diſtingueret. Et in tex. 35. & 36. fieri ratione formæ, non materiæ; quod materia continenter mutetur, forma eadem ſemper maneat. Imò hoc accretio ab aliis omnibus ſpeciebus motus magno pere differt, quod reliquæ ſolum requirunt ſubiectum, in quo ſuſcipiantur; non item materiæ, ex qua fiant; accretio & ſubiecto indiget & materia. Nam generatio quidem mutatio eſt ad ſubſtantiæ formam; alteratio ad qualitatem, quæ formæ naturam ſequitur: & ideo abſque noua accedente materia ſuſcipi in ſubiecta materia poſſunt. Motus item localis ſolum actum ſecundum & agitationem corporis mobilis in ſpatio quopiam ſignificat. At accretio dum nouam poſtulat quantitatem, quæ quia inſeparabilis eſt à materia, ſine illa non acquiritur; non ſolum opus habet ſubiecto, in quo ſuſcipiatur; ſed accedente quoque materia, ex qua fiat. Quoniam autem non ita creſcunt viuentia additione materiæ & quantitatis, vt ignis additione lignorum; aut aliquid aliud eiſmodi, quod careat anima: duas alias appoſuit Ariſtoteles accretionis viuentium conditiones: alteram, vt omnes corporis partes augeantur: alteram, vt idem in ea viuens perpetuo conſeruetur.

Ex quibus omnibus ſi veram volueris Philoſophi de accretionis natura ſententiam colligere; affirmabis profecto, eam in ſucceſſiua continuataque alimenti quanti acquisitione intra viuentis poros per omnes partes ac diſpoſitiones eodem manente ſemper viuente verſari. Alimento enim à nutrienda parte attractum atque in poris ſuſceptum ita in eius ſubſtantiæ mutatur, vt non totum ſimul, ſed per partes mutetur: ſicut non totum, ſed per partes in poris ſuſcipit, corporique reliquo adiungitur. Sunt nimirum in viuente corpore pori quamplurimi, caloris reſoluentis membra actione geniti: qui dum ſuſcepto alimento implentur, progrediente actione caloris gignuntur alij: & quoniam hæc actio nunquam intermittitur, perpetua quædam eſt in corpore pororum generatio, eorumque repletio. Quæ-

re dum ea pars alimenti, quæ in prioribus poris ſuſcepta eſt, in viuentis ſubſtantiæ mutatur, extenditur viuens; tum ob quantitatem cum ea ſubſtantiæ aſſumptam; tum quod noui ſubinde pori à calore gignantur, in quibus alia ſtatim ſuſcipitur alimenti pars, quæ interim proximè ad commutationem fuit præparata, moxque in viuentis ſubſtantiæ mutatur; atque alij gignantur pori, magisque extenditur viuens: & ita deinceps ſemper, quamdiu ſuppedit alimentum, virtusque animæ robuſtior ad multum alimentum præparandum, pluresque poros gignendos & extendendum viuens, cenſetur ſemper accretio fieri. Ea verò procedente tempore debilitata & fracta, minùs alimenti præparat, minùs gignit poros, minùs extendit, ſolumque nutrire exiſtimatur, aut etiam tandem minuire.

At quoniam in tota hac tamque ſedula operatione naturæ quinque omnino mutationes ſimul fiunt: continuata pororum procreatio, continuata viuentis extenſio, continuata alimenti in genitis poris ſuſceptio, continuata illius commutatio in viuentis ſubſtantiæ, ac demum continuata illius quantitatis aſſumptio, quæ alimenti fuerat huiusque ſubſtantiæ viuenti additam ſequitur: hæc enim omnia eadem caloris actione perficiuntur. Vt mittam pororum generationem, viuentis extenſio & alimenti in poris genitis ſuſceptio motus locales eſſe videntur: niſi alimenti illa ſuſceptio pro ſola paſſione ſumatur, quæ in ſuſcipientibus poris apparet. Alimenti porro mutatio in ſubſtantiæ viuentis propria nutritionis eſt: ſolaque ſuperſt continuata aſſumptio quantitatis, ſeu maioris alimenti prout eſt quantum; quæ ad proprium auctricis facultatis actum pertinet: qui ſi aſſumptio fuerit quantitatis maioris, eam conſtituet operationem, quam accretionem nominamus, qua viuens fiat maior omnibus partibus; non vt ea, quæ rareſcunt, ſed vera maioris quantitatis additione. Duobus enim modis alimenti quantitas conſiderari poteſt.

Primum quatenus ſubſtantiæ illius proprietates eſt: neque hoc modo ad accretionem pertinet, ſed ſubſtantiæ adgenerationem conſequitur. Deinde quatenus extenſio quædam eſt, partefque in ſeipſa extra partes habet; & ideo apta eſt per partes aquiri, & ad eum ſtatum viuens adducere, in quo perfectè ſecundum ſuam naturam operetur. Quomodo dum conſideratur, verè affirmatur accretionis naturam conſtituere. Quia cum in alimenti commutatione in viuentis ſubſtantiæ continuata quædam apparet & ſucceſſiua quantitatis additio, cuius aliis atque aliis partibus accedentibus viuens fit maior; ea non niſi accretionis propria eſſe poteſt. Imò propter adiunctam hanc quantitatem: fit, vt ſubſtantiæ quoque adgeneratio ſucceſſionem quandam & temporis moram habeat. Nam ea quidem, ſi ſola conſideretur forma ſubſtantiæ viuentis, quæ producitur, temporis momento abſolutur: at ex parte ſubiecti, in quo ea forma ſuſcipi debet, opus habet tempore. Quoniam enim alimentitia materia quantitatem habet & partes, neque poteſt tota ſimul in poris ſuſcipi; neque toti ſimul ea virtus animæ applicatur, quæ ad viuentis formam debet eam

Mutationes in accretione conſiſtunt.

Quantitas alimenti duobus modis conſiderari.

traducere; dum alia atque alia illius partes accedunt & cum tempore ac successione applicantur, cum tempore item & successione viuentis formam suscipiunt. Ut continuata potius quaedam eiusdem formae per totam materiam extensio, quam ex singulis partibus educio esse videatur.

*Accretionem esse motum successivum.*  
Ex quibus manifestum est, quam ob causam inter species motus successivum accretionem Philosophus perpetuo numeraverit. Quemadmodum enim quia corpus, quod movetur loco, extensionem habet & partes, quarum una succedit alteri; & in spatio, per quod movetur, transire prius oportet priores, tum posteriores partes: & qualitas item producenda latitudinem habet intentionis & gradus, qui non omnes simul, sed paulatim alij atque alij produci debent: localem motum atque alterationem fieri affirmavit cum tempore, esseque successivos motus: ita de accretione quoque indicavit, quoniam quantitatem, quae illius terminus est, vidit habere partes extra partes, quas non omnes simul, sed sensim oporteret acquiri.

*Continuum multo modis dici.*  
Quod facilius explicatur id, quod in scholis disputatur, num ea sit motus continuus, nec ne. Nam si ea sit acceptio continui, ut perpetuum & sempiternum significet: sic sane in 8. Physic. lib. localem solum motum probatum est esse continuum. & in textu 23. ostensum, nec augeri quidquam posse nec minui continue, sed esse medium consistentiae tempus, quod inter accretionem est & decretionem. Non esse autem accretionem hoc modo continuum; tum inductio ostendit & experientia; tum persuadet ratio. Quoniam ut est in primo libro de caelo textu 21. quidquid augeri potest, potest item corrumpi. Deinde accretio viuentium propria est in eum finem instituta, ut perfecte operentur: at non solum determinatam magnitudinem habent omnia, ut est in textu 41. huius 2. libri de anima: verum etiam sub quavis maxima membrorum quantitate operari omnino non possent: quare post sufficientem & ad operandum opportunam quantitatem adeptam finem habet accretio. Denique nativus calor, dum animae famulatur augendo corpora, agendo patitur magisque in dies debilitatur, ac tandem omnino augere non potest.

Eandem ob causam nec ideo potest accretio appellari continua, quod per totam vitam duret. Post aliquot enim annos perfectis omnibus membris caloreque debilitato & fracto cessat. Unde vitae illa partitio in tres aetates, incrementi, consistentiae, & decrementi.

Neque verò propterea hunc motum dices esse continuum, quod toto eo tempore, quo fit, sit uniformis eodemque modo fiat. Etenim non est semper calor aequè ad augendum robustus, sed continenter debilitatur magis: neque alimenta eodem semper modo sumuntur. Accedunt morbi complures, praeus quispiam in corpore humor, melancholia, alimenti nimia consumptio in re venerea, & id genus alia; quae accretionem aliquando impediunt plurimum. Tum membra, quae augeri oportet & extendi, facilius multo augentur & extenduntur quandiu meliora sunt, quam alio tempore, quo solidiora facta sunt &

duriora. Quam ob causam in primo libro de animalium ortu cap. 18. pueros scripsit Aristoteles non habere semen; quoniam in augendo corpore totum alimentum absumitur, antequam excrementi quidquam remaneat. Immo primo quinquennio humanum corpus capere dimidium ferè totius magnitudinis, quam toto tempore est habiturum.

Hactenus consentiunt omnes; non item An. *Accretio sit continua, id est numquam interrupta toto illo tempore, quo viuentia crescunt. Affirmant enim nonnulli, omnesque illi affirmare coguntur, qui nutritionem ita putant per totam vitam fieri, ut aliquid semper alimenti in viuentis substantiam mutetur. Ego tamen sensu sentio; qui nutritionem antea ostendi interrumpi per saepe; hocque videtur voluisse Philosophus in textu 23. libri 8. Physic. cum ut antiquis ostenderet, ea, quae moventur, non semper moveri; illud accepit argumentum, neque augeri; neque moveri continue; sed esse & medium. Quae verba etsi Themistius, Simplicius, & Pfellus ita interpretati fuerint; ut inter accretionis & decretionis motus consistentiae quies interponatur. Quoniam tamen ita illos separavit Aristoteles, ut neque accretionem, neque decretionem dixerit, hoc est neutram earum posse esse continuum; latius est de singulis huius motibus seorsim accipere ad intelligere: neque inquam accretionem totam à principio vitae usque ad vigesimum quintum annum; neque decretionem totam ad mortem usque continuum esse; sed saepius interrumpi. Idque confirmat exemplum, quo vitur, cautionis lapidis: quae non fit à singulis guttis, cum earum permixtae solum disponant. Eodem enim modo intelligi voluit accretionem fieri; ut aliquo tempore vivens augeatur, alio ad auctorem disponatur.*

*D* Quod autem iniqui gravissimi illi interpretes, accretionem & decretionem continuos motus non esse; experientia sane & sensu confirmatur: quibus manifestum est, eandem aliquandiu quantitatem retinere viuentia, quam accretione adepti sunt. Atque huc spectare videtur illud in textu 63. libri 8. Physic. Naturam nihil unquam facere, ut demoliatur statim. & in text. 62. 64. & 65. omnino demonstratum est, contrarios motus continuari non posse; sed inter eos intercipi tempus: proptereaque inter accretionem & decretionem consistentiae velut quietis tempus agnoscitur.

*E* Igitur eo modo accretionem affirmamus motum esse continuum, quo calefactio, refrigeratio, aliaque alteratio, aut localis motus dicuntur esse continua: quia dum fiunt, continuatè fiunt, successivè, cum tempore; non subito & momento. Huius rei existimarem ego supervacaneum esse probationem adferre, nisi Auerroës in comment. 23. libri 8. Physic. solum motum localem scripsisset esse continuum; accretionem autem per minima progredi, quae aliis atque aliis momentis acquirantur. Quod pluribus postea recentiores complures confirmarunt.

Partialem igitur quamlibet accretionem (de hac enim sermo) continuum esse, habereque partes, quae sibi succedant & communi omnes termino copulentur; & ideo tempore continuo fieri.

fieri: non solum communis est penè omnium sententia; verum etiam Aristotelis, qui eam semper inter successiuum & continuuū motus speciem numerauit. Est enim successio & continuūtas, aut essentialis motui propriè dicto, aut inseparabilis certè proprietates. Quare in textu primo libri tertij Physic. vniuersè motum dixit esse de genere continuuorum: & in textu 49. lib. 6. continuū ostendit ita esse, tum in aliis motibus, tum in accretione; vt in eis neque prima neque vltima pars reperitur. In textu autem 129. lib. 4. vniuersè eum affirmasset, omne, quod mouetur, moueri cum tempore; hoc vsus est argumento: quoniam in omni motu est velox & tardum; quæ tempore mensurantur; tum in locali motu, tum in aliis omnibus. Et in textu 132. cum quaereret, an tempus sit numerus cuiusuis motus, an determinati cuiuspiam; esse respondit cuiusuis motus contineri, & non cuiusdā, eodemque modo alterationis, accretionis, & localis motus. Siue igitur numerum numeratum, siue numerantem intelligas; eodem modo omnes sunt motus successiuū & continuū. Vt enim corpus mobile & spatium partibilia sunt & continua in locali motu, ita & quantitas, quæ accretionis est terminus; & qualitas, quæ alterationis. Quod si ita esset, vt inquit illi, accretio nullo modo esset motus; sed congeries quædam ex mutatis esse subitilique pluribus mutationibus. Accedunt rationes illæ omnes, quibus ostenditur, alterationem motum esse continuū; quæ accretionem quoque concludunt. Licet & ex impropria accretione illa, quæ in rebus inanimis cernitur, argumentari. Dum enim ignis additione lignorum augetur, corpusque quod rarefcit, ad maiorem locum extenditur; successiuè & continuè vtraque hæc accretio perficitur. At in hoc per similes est ea, quæ viuentium: in eo duntaxat ab auctione ignis diuersa; quod idem semper viuens maneat, omnesque illius partes crescant: & a rarefactione; quod noua accesserit materia & quantitas.

Et quoniam ij, qui seculi senserunt, auctoritate potissimum Auerrois permoti sunt; meminere quid ab eo scriptum fuerit in comment. 6. lib. 3. Physic. duo enim omnino affirmavit. Alterum, ex definitione motus eo loco tradita manifestum esse, motum omnem esse continuū. Alterum, continuationem hanc in locali motu magis, quam in cæteris, esse conspicuam. Is enim à principio ad finem vsque interrumpitur nunquam: cum accretio (alterationisque complexus) interrumpatur sepius; neque vnus est motus continuus, sed & motibus & quietibus pluribus interceptis constat. Ex his enim manifestum est accretionem quoque partiales esse continuas: & eam, quæ est totius vitæ, continuam quidem non esse; at nec ex mutatis esse, sed ex motibus constare. Quod si minima & momenta nominauit in comment. 23. lib. 8. interpretatus est Marcus Antonius Timara, eum tunc accretionem non per se considerasse, sed quatenus nutritione perficitur. Nutritio namque subita mutatio est, perque minimas alimenti partes in poris susceptas fit; vt idem commentator exposuit in comment. 38. prioris lib. de ortu & interitu.

Quod verò aliqui dicunt, dari saltem primum minimum, quod momento temporis acqui-

ratur; reliquum verò motum successiuè & continuè fieri, mihi quidem certè probabile est. Tam inquam in quantitate, quam in substantia, esse primam partem, quæ in poris suscepta aquiritur viuenti; reliquam cum successione & continuatione aquiri: substantiæ quidem ex accidente, quantitatibus autem per se.

Itaque licet concludere, accretionem esse motum propriè dictum ab aliis omnibus distinctum, quo viuens maiorem quantitatem aquiri: motum verò à minori & imperfecta quantitate ad maiorem & perfectam viuenti debitam, vt perfectè operari queat. Decretionem autem motum à maiori & perfecta ad minorem, minusque perfectam, cum qua imperfectiores operationes existant. Quare perfecta & imperfecta, maior & minor quantitas, termini sunt oppositi, inter quos hi motus versari dicuntur.

Ergo de accretionis natura satis dictū sit. De eo, quod augetur, dicendum superest. Quia in re duæ omnino exponendæ erunt accretionis conditiones. Altera, accretionem in omnibus partibus fieri. Altera, idem omnino manere in accretione tota id, quod augetur. Prima enim illa conditio accretionem forinsecus aliquo accedente fieri, satis est explicata, vbi ostensum est quomodo ex alimento sumpto viuens augetur.

Proprium igitur accretionis subiectum est totum viuens. Nam & accretio est operatio animæ propria: & id, quod ab imperfecta & minore quantitate ad maiorem & perfectam transit, cuiusque nouæ quantitatibus additio fit; est ipsum viuens, quod nutritionis item subiectum est. Neque enim alimentum accedens, neque pars, quæ inde restauratur, nutrirī aut augeri dici possunt. Siquidem vnus potius corruptio est, alteriusque generatio. Verum cum duo in eo partium genera reperiantur; integritatis, & essentia; integrantes partes in corpore considerantur, suntque tum

homogeneæ, tum eterogeneæ: de quarum omnium accretione idem prorsus dicendum est, quod de nutritione antea dicebatur. Quoniam enim accretio nutritionem insequitur; nec nisi in iis reperitur, quæ nutriuntur, vt est in tex. 37. partes ea, quæ nutriuntur, augetur omnes, & solæ. Eæ sunt, quæ animam habent & integrum corpus constituunt. In his porò quemadmodum ea, quæ sunt homogeneæ, per se primū nutriuntur; deinde quæ ex illis coagmentantur, eterogeneæ: ita per se primū illæ, tum hæc quoque augetur. Sic enim in tex. 35. prioris libri de ortu & interitu ratiocinabatur Aristoteles. Neque enim aliam ob causam augetur manus, nisi quia caro, os, neruus, & homogeneæ ceteræ crescunt; ex quibus illa componitur.

Scio disputari à multis, an hæc omnes partes augeantur simul, an verò crescant aliquæ non crescentibus aliis: atque à nonnullis interdum ita esse affirmari. Sed nequaquam ego ita euenire existimo. Quin potius nullam vnquam partem augeri aio, quin reliquæ augeantur omnes. Atque hoc est, quod Philosophus pronuntiauit, partibus omnibus augeri viuens: alioqui si vna cresceret non crescentibus aliis, vera non esset & propria viuentium accretio. Nam nec potest in illis vnā nutriri, quin omnes nutriantur; nec ad vnā vnquam distribuitur alimentum, quin reliquæ omnes

Y Y ij

accr-  
etione.

Accre-  
tionem  
per om-  
nes par-  
tes fieri.

Auge-  
re  
primū  
homo-  
geneas  
partes, &  
eteroge-  
neas.

Omnem  
partem  
simul  
augeri.

suam partem accipiant, vt omnes simul ad vitam A  
& incolumitatem totius conseruandam rescian-  
tur. Quamquam in hac generali distributione  
ea seruatür proportio, vt quæ partes grandio-  
res sunt & maiore indigent nutritione; maio-  
rem quoque alimenti partem accipiant. Itaque  
cùm nutriti facultas sparsa sit per omnes partes &  
in omnibus potens ad commutandum plus ali-  
mentitiæ substantiæ, quàm in ipsis fuerit dispa-  
tum: omnes profus necesse est ita nutrirî & refici,  
vt omnes etiam augeantur.

Pori in  
corpore

Cæterùm inter omnes, tum Philosophos, tum  
Medicos, conuenit viuientia corpora non esse om-  
nino solida, sed plurimas passim habere cauita-  
tes & foramina, quæ poros consueuimus nomi-  
nare: eosque in hisce corporibus reperiri cognos-  
cimus, tum ex plurimis excrementis, quæ per cu-  
tim effluunt; tum ex aëre nobis circumiecto,  
quem corpora nostra penetrare sentimus; tum ve-  
rò ex vi & actione natui caloris, qui dum in  
partes corporis agit, continenter resoluit aliquid  
& extendit membra: quare cauitates aliquas in  
illis fieri necesse est. Sine quibus perfectò consti-  
tare haud posset totius viuientis nutritio; nisi aut  
corporum penetratio fieret, alimenti scilicet &  
viuentis corporis; aut violenta scissio, qua ad  
nutriendas partes alimentum peruaderet.

Partes  
solide &  
porosa.

Homogeneæ igitur partes duplici adhuc parti-  
tium genere constant: quarum aliæ solidæ sunt  
& nondum à calore consumptæ ac perforatæ:  
aliæ porosæ, in quibus aliquid consumptum iam  
& exinanitum fuit. Hæ non semper & vbique  
æquales sunt: sed maiores interdum, interdum  
minores: neque in diuersis modò animalium  
speciebus, verùm in eadem quoque specie: immò  
& in eodem indiuiduo, tum diuersis temporibus,  
tum eodem. Non solùm enim in humana  
specie (vt hoc exemplum accipiam) maiores  
sunt in mari, quàm in foemina; in iuvene, quàm  
in sene; & omnino in vno indiuiduo, quod calo-  
rem maiorem habeat, quàm in alio, quod mino-  
rem: sed etiam in eodem homine eodemque tem-  
pore vna corporis pars maiores, quàm altera, po-  
ros habet; tum quòd calidior sit; tum quòd hu-  
midior & mollior patiatur faciliùs atque à calo-  
re soluatür, quàm alia, quæ siccior sit & durior:  
quod in carne & ossè aliisque compluribus mani-  
festum est.

Poros  
visos in  
corpore.

Iam verò poris hisce magnopere vtitür natura  
ad finem sibi propositum consequendum. Nec  
solùm tanquam viis quibusdam ad excrementa  
pellenda corpusque purgandum: sed etiam tan-  
quam aptissimis vasibus ad omnium earum parti-  
tium, in quibus fuerunt geniti, atque adeò  
totius corporis nutritionem & accretionem per-  
ficiendam. In eos namque opportunum conii-  
cit alimentum, quo consumpta substantia res-  
tauretur; & quidem faciliùs multò, quàm antea.  
Quare cùm vbique sint pori, omnesque partes res-  
tauratione indigeant; & nutriuntur omnes, &  
augentur. Ea tamen proportione seruata, vt vbi  
maiores sunt & ampliores pori, copiosior quo-  
que nutritio sit & accretio maior: quoniam plus  
alimenti suscipitur.

Poros  
nun-  
quã esse  
inanes.

Ex quibus omnibus quatuor planè manifesta  
sunt. Primum, poros hosce numquã esse inanes,  
sed plenos semper, aut vapore aliquo, præsertim  
quando gignuntur, aut spiritu, aut aëre, aut ali-

mento, aut excremento.

Alterum; verissimum esse id, quod antea di-  
ctum est, homogeneas partes per se primum nutri-  
ri & augeri, earumque beneficio eterogeneas. Ete-  
nim pori per quos nutritio omnis fit & accre-  
tio, ad homogeneas partes per se pertinent. Quam-  
quam si nature intentio consideretur, dici possunt  
primum nutrirî & augeri eterogeneas; quia cùm  
accretio illud spectet, vt viuens perfectè iuxta  
suam conditionem operari queat; ad partium etero-  
genearum, quæ sunt operationum omnium in-  
strumenta, perfectionem refertur: sed vt ex ex  
homogeneis componuntur, sic illarum auctio ex  
homogenearum auctione deriuatur.

Tertium; verissimè omnino dictum fuisse ab  
Aristotele, accretionem fieri per omnes partes:  
nam non solùm augentur omnes, tum homoge-  
neæ, tum eterogeneæ: sed in homogeneis quoque  
particulæ omnes earum, tum porosæ, tum solidæ;  
alia tamen atque alia ratione. Partes enim poro-  
sæ & nutriuntur & augentur per intus susceptio-  
nem alimenti; solidæ per iuxta positionem; quia  
dum implentur pori, illud ipsum alimentum parti-  
tibus solidis apponitur; & cum illis ita continua-  
tur, vt grandiores euadant. Dicunturque augeri  
vera & propria accretione; quoniam ea compara-  
tione totius viuientis consideranda est potius,  
quàm ratione partium; estque satis, si ratione to-  
tius sit intus susceptio, & aliæ omnes accretionis  
conditiones seruentur. Quamquam pori illi im-  
proprie partes viuientis dicuntur; potius enim  
sunt partium cauitates & spatia; neque partem vi-  
lam substantiæ viuientis significant; sed absten-  
tiam magis & defectum illius, quæ fuit consum-  
pta; & idèò improprie quoque nutrirî aut au-  
geri affirmantur, magis proprie ear, quæ sunt soli-  
dæ, quæ verè partes sunt, & viuientis substantiam  
significant.

Quartum & vltimum; etsi nutritio & accretio  
fiat per omnes partes; vtramque tamen fieri ab-  
soluteque vlla corporum aut quantitatum penetratio  
ne; beneficio scilicet pororum, in quibus alimen-  
tum quantum suscipitur, atque omnibus plantis  
solidis partibus adiungitur; quam ob causam Ari-  
stoteles in tex. 39. prioris lib. de ortu & interitu  
alimentum dixit cum nutrienda re permisceremur  
quòd verè permisceatur, sed quòd per poros ad  
minimas vsque illius partes penetret.

Et hæc quidem de integritatis partibus, quæ  
in corpore considerantur. De partibus autem  
essentiæ, quibus totum viuens absoluitur, mate-  
ria inquam & forma; extat illa sententia in tex. 35. forma  
36. & 37. eiusdem lib. pronuntiata; Accretionem  
fieri ratione formæ, non materiæ: propterea quòd  
materia accedat & recedat sapialque mutetur,  
forma semper sit eadem. Quæ verba ideo pro-  
nuntiauit Philosophus, & doceret, quomodo sit  
accretione seruari tres illæ conditiones possent;  
vt & fieret per omnes partes, & accedente alique,  
sine corporum tamen penetratione; ac demum  
idem in tota accretione perseveraret viuens. At  
in eorum interpretatione mirum est quanta  
semper dissentio fuerit. Immo Alexandrum scri-  
bit Aueroës in comment. 38. illius libri ab  
hac Aristotelis sententia discessisse; potiusque ac-  
cretionem affirmasse ratione materiæ fieri. Fit  
enim accretio additione; additurque materiæ  
materiæ & quantitati quantitas. Et quantum  
materiæ

materia continenter fluere & mutari videatur; aliqua tamen sunt illius partes primigeniae, quae ad mortem usque illaesa conferuentur; quibus dum additur accedens alimentum, augetur viuens.

Sed immerito calumniatus est Alexandrum Auerroës; & fortasse nec hominis scripta vidit, ut in 3. lib. de anima comment. 20. confessus est is aliquando. Non solum enim aperta oratione Alexander in naturalium quaest. lib. cap. 5. & in lib. de missione, Aristotelis sententiam sequutus & interpretatus est: verum etiam argumentis confirmavit. Tum quasi materia spectetur, etsi ea non simul tota mutetur, sed aliqua partes diutius permaneat; tandem tamen fluit & recedit tota; neque ratione illius dici potest idem viuens subsistere: potest ratione formae, quae eadem semper est. Tum quia si accretio fieret ratione materiae, cum per omnes partes fieri debeat, omnino sine corporum penetratione non fieret.

Philoponus autem usque adeo veram esse sententiam sibi persuasit, ut nullo modo dici voluerit materiam augeri. Quare cum in tex. 36. dixisset Philosophus, materiam carnis augeri, si plus accesserit, quam decesserit; eum affirmavit augendi vocabulo abusum fuisse. Adiunctio enim illud est, non accretio; quia non seruantur in eo, quae augmenti sunt propria.

*Prima opinio.* Principio igitur constituere oportet, quid nomine materiae & formae hoc loco intelligendum sit. Quosdam scribit Marsilius in quaest. 13. partes secundum formam interpretatos fuisse partes illas corporis, in quibus primum illud humidum conferuatur, quod ab ortu fuit acceptum: partes autem secundum materiam eas, quae alterum habent humidum, quod ex alimento suppeditatur. In prioribus enim praecipue partibus resident animae naturaeque calor, qui accretionem operatur: & posteriores sunt velut materia, tum ad priorum defensionem & conseruationem, tum ad natium calorem pascendum. Atque priores illae conseruantur semper, earumque consumptionem sequitur viuentis interitus: Posteriores perpetuo fluunt & mutantur.

At non ea fuit Aristoteli mens; qui apertis verbis dixit, in carne & osse materiam; sicut in qualibet re, quae formam habeat in materia. Quae verba de duplici hoc humido non licet exponere. Immo illa ipsae partes, quae humidum illud habent primigenium, materia constant & forma. Deinde eam ob causam verba illa pronuntiauit, ut accretionem omnium partium fieri doceret; tum ad ditione materiae & quantitatis; tum eodem semper subiecto manente. Quod si partes illae primigeniae considerentur; dici quidem fortasse poterit, subiectum idem manere, quod earum aliquid ad mortem usque conseruetur: non omnes tamen viuentis partes augebuntur; si quidem ea quoque sunt illius partes, quae ex alimento formatae sunt. Neque sine corporum penetratione accretio fieret: quoniam primae illae partes non minus, quam alimentum, corporeae sunt. Aut igitur corporum erit penetratio, aut non omnes alimentis additione augebuntur.

*Secunda opinio.* Alij inter quos Thomas de Garbo in sua medicinali summa quaest. 54. & Concliator differentia 56. formales partes dici maluerunt eterogeneas, quae per se operari possunt velut forma: materia

les autem homogeneas; quae eterogencarum sunt materia.

Dixit quidem Aristoteles in tex. 37. accretionem magis esse manifestam in partibus eterogeneis: sed tamen in tex. 35. ante quam eam diceret fieri ratione formae, non materiae, distinctis eterogeneis & homogeneis partibus, eterogeneas affirmauerat, ut ex homogeneis componuntur, sic augeri propterea; quod homogeneae augeantur. Deinde ommissis eterogeneis homogeneas in materiam & formam distinxerat. Tum demum accretionem subiunxit fieri ratione omnino formae, non materiae. Duo enim omnino inde colligimus.

*B* Alterum, materiam & formam in solis homogeneis considerandas esse. Alterum, accretionem fieri ratione formae, non materiae; de homogeneis solis pronuntiatum fuisse: tum quia in illis materiam & formam distinxerat: tum quia eterogeneas iam affirmauerat non augeri per se, sed quoniam augetur homogeneae: hocque solum exponendum relinquebatur, quemadmodum homogeneae auerentur. Deinde in tex. 36. propositionem eam ostendit in carne & homogeneis partibus. Et in tex. 37. etsi argumentum accipiat ex eterogeneis, in quibus ut operatio viget, sic euidentior est forma: in homogeneis tamen, hoc est in carne, quamlibet partem concludit esse auctam secundum formam, non secundum materiam.

*Tertia opinio.* Tertio loco ponendae sunt Egidij Romani, Martii filiique commentationes. Quorum alter duplici distincto partium genere; quarum aliquae sensibiles sunt & aptae per se solitarie coherere, aut operari; aliae non sensibiles neque aptae per se separatae existere, aut aliquam operationem habere: priores iudicauit esse formales partes; quia quod separatum a toto existere atque operari potest, formae vim habet: posteriores materiales; quoniam nec materia, quae potest esse, per se coherere nec operari potest, nisi ab actu & forma perficiatur.

*Quarta opinio.* Alter vero formales partes voluit esse partes porosae; quod ea sunt sensibiles, sensibilesque rebus propter formam conueniat: materiales autem non porosae, quae propter paruitatem insensibiles sunt, ut materia. Accretionemque dixit fieri ratione formae, hoc est porosarum partium: quoniam cum fieri eam intus susceptione oporteat, alimentum in poris suscipitur. Haec ferme illi.

Sed neuter plane audiendus est. Non Egidius. Tum quia ut partes eterogeneae homogeneis auctis augetur, ita ea, quae sensibiles sunt, ideo crescunt, quod grandiores fiant insensibiles. Tum quia dum Aristoteles carnem & os homogeneasque singulas partes duplices esse dixit, quemadmodum vnumquodque est, quod formam habet in materia; significauit profecto se materiam & formam aliud quidpiam nominasse; generali scilicet illa & propria acceptione, qua in rebus omnibus natura constantibus, vel in minutissimis illis Egidij partibus, materiam inesse dicimus & formam; cunctasque res naturales ex duplici natura constare, materia & forma in 2. Physic. lib. docetur. Eandem ob causam ineptum est porosae partes & solidas interpretari. Nam si in carne & osse non minus materia & forma dicuntur, quam in ceteris rebus; permulta sunt in natura, quae porosae habent nullos. Deinde si, ut Marsilius affirmavit, porosae partes maiores sunt, magisque sensibiles, quam non porosae & solidae:

præter quam quoddam sensui aduersatur, in ossibus A præsertim, neruis, ac solidioribus partibus, imò præsertim in omnibus: maxima viuētis corporis pars inanis esset ac inanimata: non enim habent animā pori. Præterea (vt antea quoque adnotauī) porosa illæ cauitates partes carnis, ossis, aut omnino viuētis corporis propriè appellari non possunt. Nullam enim illius substantiam habent; sed partium foramina sunt & spatia, quæ aut vaporem, aut aërem, aut excrementum, aut alimentum nondum planè mutatum continent: tantum abest, vt sint forma, partesque præcipuæ, quæ augeantur. Voluit etiam Aristoteles id, quod augetur, addito alimento augeri; idemque in tota accretione manere: at non illis, sed partibus solidis additur alimentum: nec illæ vnquam eadem, sed aliæ semper atque aliæ sunt. Sumpto namque alimento priores implentur pori, alique noui gignuntur.

Quinta opinio.

Accommodata magis videretur quorundam aliorum expositio; formam significare totum cōpositum, animatum scilicet corpus; materiam autem illius partes: accretionemque toti potius, quā partibus tribui: quoniam partes fluunt, tum corpus, tum vegetans anima, in qua hæc operatio cōsideratur: totum verò idem est semper per æquiualentiam. Hæc inquam expositio accommodata magis videretur propterea, quòd in 2. Physic. lib. tex. 31. idem ipse Aristoteles auctor est, totum suarum partium comparatione esse quasi formam, partesque comparatione totius quasi materiam.

Nisi & grauior auctoritas & firmitior ratio contrarium potius suaderent. Auctoritas est eiusdem Philosophi; qui, vt sæpè iam dictum est, in illo ipso tex. 35. cuius nunc interpretationem quaerimus, vnquamquamque item partem, carnem, os, & alias similes, materia & forma constare dixit. Inde namque manifestum est, formam dici, non cōpositum, sed alteram cōpositi partem, quæ materię adus est. Propterea etiam ea verba pronuntiauit, vt accretionem doceret per omnes partes & absque corpori penetratione fieri. Ideo enim eam fieri dixit secundum partes formæ, non secundum partes materiæ. Quomodo ergo dici potest fieri secundum totum, non secundum partes; si secundum omnes planè partes eam fieri ipse contendit? certè nil aliud est re ipsa totum, quàm omnes partes simul sumptæ: quare si augetur totum, partes quoque omnes augeri necesse est: aut si dici nequeunt partes augeri, ne totum quidem dicatur. Immo quemadmodum eterogeneas partes non aliam ob causam augeri dixit, nisi quòd augeantur eæ, quæ sunt homogeneæ: ita neque dici potest augeri totum, nisi quòd partes illius crescant; & quidem omnes in vera viuētiumque propria accretione.

Sexta opinio.

Hi ergo omnes propriè materiam & formam interpretati sunt: quòd & obscura videretur oratio Philosophi, & accretionis natura perdifficilis. Alij magis propriè verba illa intelligentes, verè materiam & formam in viuētibus & eorum partibus inesse dixerunt, quemadmodum in vnaquaque re, quæ formam habeat in materia. Sed tamen nehi quidem omnes eodem modo. Auerroës in comment. 38. superius notato duobus modis visus est velle accretionem fieri ratione formæ. Altero, quia fit ab anima, quæ viuētium est forma. Altero, quia seruatur semper eadem

accidentaria & de genere qualitatis forma; hoc est eadem membrorum figura; etsi noua addatur quantitas, muteturque materia.

Quæ commentatoris oratio vera quidem est, si per se consideretur; sed nequaquam Aristotelis verborum accommodata interpretatio. Non enim quærebat, à quonam accretio fieret; sed quomodo sine corporum penetratione per omnes partes & eodem manente viuente fieri posset. Externa autem membrorum figura accidentariam quamdam & externam, non substantialem & internam identitatem ostendit; neque accretionem à corporum penetratione liberat. Deinde cum Aristoteles viuētis partes materia & forma constare asserit; quemadmodum cætera, quæ formam habent in materia: non video quomodo neglecta substantiæ forma, ratione cuius res naturales verè dicuntur habere formam in materia; figuram externam aut accidentariam vllam formam possimus intelligere. Denique figura, cum sit qualitas, accretionis terminus esse non potest: sed magis ad alterationem pertinet, si rem quampiam à quantitate diuersam significet. At si idem re sit cum quantitate; non augetur, nisi aucta aut certè extensa mutataue quantitate: potiusque quantitas, quàm figura, augeri existimabitur.

Reliqui igitur substantiæ formam interpretati sunt. Et quidem materiam & formam corpus & animam complures intelligi voluerunt: accretionemque non fieri ratione corporis, quòd continenter fluit & mutatur, nec potest absque corporum penetratione partibus omnibus ex addito alimento augeri: sed ratione animæ quæ cum materia non fluit, sed eadem permanet accedentique alimentis partes format.

Sententiam hanc nostris temporibus magnopere porbauit multisque confirmare conatus est Iacobus Zabarella in lib. quem de accretione editit & nutritione cap. 15. Sed mihi quidem tantum abest, vt quidquam persuaserit; vt magnopere minatus sum grauem sanè philosophum, Patavij mihi optimè notum, in re tam graui tam leuia argumenta proposuisse; vt vegetantem animam, ratione cuius accretio fit, ostenderet non simul fluere aut interire cum materia, quæ continenter dissoluitur: quin ab ea potius separari; atque ad formandam accedentem materiam extendi; neque ex ea nouam educi formam. Conciliator rudissimorum hominum sententiam appellauit. Ego verò, vt duo illa taceam argumenta, quæ sibi ipsi Zabarella proposuit. Alterum, formam ex vno in aliud subiectum migrare non posse. Alterum, animam non esse per se mobilem; vt in primo lib. conficit Philosophus. Quæ duo argumenta etsi ipse diluere conatus sit, parum tamen feliciter successit: nec ita, vt sibi ipsi, cæteris satisfecit. Illud primùm obiciam; quòd plures in eodem viuente animas esse, vegetantem scilicet in animalibus & homine præter sentientem & intelligentem, tamquam certum accipiunt isti Philosophi; quòd sapientioribus perquam falsum, aut certè non ita manifestum videtur, vt ex eo principio deduci debeat nutritionis & accretionis natura, quæ operationes animæ sunt omnium manifestissima. Deinde Aristotelem materiam & formam in carne, ossis, cæterisque homogeneis partibus nominasse. Evidè non

non corpus & animam, quæ sunt generales viuentis partes; sed materiam & formam illarum partium proprias significasse. Præterea solam hominis intelligentem animam impartibilem esse, neque interire cum corpore, antea demonstravi. Quare hæc accretionis forma, quam ipsi exponunt, in homine fortassis locum habere possit. At cum reliquæ animæ materiales sint & cum corpore extensæ atque partibiles; ac præsertim vegetans, quæ omnium prima ex materia potestate educitur, quæque maximè materialis est, & cuius propria sunt nutritio & accretio: fieri omnino non potest, ut in viuentibus cæteris pars vlla materie recedat antecedat, quin animæ simul pars pereat aut oriatur. Omnis enim forma, quæ ex materia potestate educitur, siue tota spectetur, siue partes singulæ considerentur; quemadmodum ex illa materia educitur & ab illa naturam totam habet; si ab illa deinceps pendet, neque sine illa potest subsistere: immò illius interitus nil aliud est, quàm ab illa materia separatio. Neque modò à toto corpore, sed etiã à singulis partibus. Certè principium illud Aristotelis in tex. 13. lib. 1. est planè necessariũ; neque solum de tota forma, sed de illius item partibus: si anima operationem habet propriam non communem cum corpore, separari à corpore potest; si nullam habet, separari non potest. At quænam est vegetantis animæ operatio, quæ cum corpore communis non sit aut quoniam alio argumento eam separari posse cognoscimus. An non cum sit tota eiusdem rationis, si quælibet illius pars separabilis est atque à corpore non dependens, tota quoque separabilis & non dependens fuerit? Immo verò quoniam procedente tempore nulla est corporis pars, quæ non mutetur, alia scilicet noua accedentes; si à quolibet parte separatur anima, tota tandem fuerit ab eo corpore separata, ex cuius potestate fuit educita, quodque primum tamquàm proprium & natium subiectum formauit. Quare multò magis poterit ab eo separari, quod nunc format tamquàm spurium, adulterinum, & subditium; ex cuius potestate non fuit educita. Præterquam quòd absurdum est, materialem & corruptibilem formam ponere in materia, ex cuius potestate non sit educita. Miror etiam acutos & perspicaces Philosophos non vidisse, solam animam dici non posse augeri. Nam aut id propterea diceretur, quòd ipsa esset accretionis terminus, aut quòd esset subiectum. Terminus non est anima, nec substantia vlla; sed quantitas maior. Substantia & anima, aut generatione acquiritur, aut nutritione. De subiecto autem motus (est enim accretio motus quidam) extat Philosophi sententia in tex. 32. lib. 6. Phys. subiectum motus oportere esse partibile: at forma nec partibilis est, nec mobilis, nisi ex accidente: & in tex. 3. lib. 5. eiusdem operis, forma nec moueri dicitur, nec moueri: & in tex. 36. & 37. huius secundæ lib. de anima, Anima in viuentibus corporibus est triplicis generis causa, formalis, finalis, efficiens: materialis nusquàm dicitur, quemadmodum isti affirmant. Immo in 2. Phys. lib. tex. 70. reliquæ tres causæ in vnam sæpè conueniunt, materialis nunquàm. Sed non aliam ob causam in hanc eos adductos fuisse sententiam opinor, quàm quòd alio modo exponere non possent, quomodo ratione formæ accretio fiat, idemque semper persistat viuentis.

Ego verò alio prorsus modo exponi posse, aliã-

**A** que fuisse Philosophi verbis subiectam sententiam non dubito; Alexandrum nimirum sequutus, Philosophonum, & grauiores alios interpretes. Materiam & formam propriè oportet accipere pro duabus substantiæ compositæ partibus. Et quoniam Aristoteles non solum de viuento toto non loquebatur, sed exclusis etiam eterogeneis partibus homogeneas solas considerabat, cum eam sententiam pronuntiauit; ratione quarum eterogeneas, atque adedò totum viuentis augeri dixit: propterea in homogeneis solis materiam & formam intelligere oportet, dum ratione formæ, non materiæ, accretionem fieri affirmauit: quare in tex. 36. materiam carnis dixit. Harum enim accretione exposita, satis erat manifesta totius viuentis accretio: siquidem illa per se primum augetur; tum ratione illarum eterogenearum partes totumque viuentis. Et quoniam propria homogenearum partium forma notissima est, has formas intelligere oportet. Sic enim accretionis conditiones omnes seruantur optimè. Quoniam partibus omnibus augetur viuentis, dum caro, os, & omnes homogeneæ partes grandiores fiunt: & quidem in earum poris vbique sparsis alimento suscepto, & absque corporum penetratione, eodemque manente eo, quod augetur: quoniam in alimenti materia producit eadè partibus forma. Quod de materia dici non potest. Tum quia cum accretio per se quantitatis mutationem significet, materiæ quoque cuius proprietas est quantitas, mutationem adferat necesse est. Aliud atque aliud sumitur alimentum, sed eadem viuentis forma producit. Siue enim carnem edas, siue panem, siue olera; carnem ex illis omnibus, os, aut neruum generabis. Tum quia cum accretio fiat ex alimento corpore & quanto, & viuentis quoque corpus sit quantum; absque quantitate & corporum penetratione augeri omnes corporis partes non possent, si ratione materiæ accretio fieret. Mutatur quidem forma carnis, ossis, & aliarum partium, dum earum materia mutatur: mutari tamen non videtur, sed eadem semper manere. Tum quia non per se quantitatis mutatione mutatur, sicut materia; sed solum materiæ, à qua pendet, mutationem sequitur. non enim ita est cum forma coniuncta quantitas, ut cum materia. Tum quia partes alimenti omnes, quæ materiæ partibus consumptis succedunt, ut inter se diuersæ sunt, & in principio dissimiles; ita alterantur & mutantur, ut sua abiecta forma ad viuentis naturam transeant; eandemque omnes suscipiant formam, quæ in partibus consumptis fuerat: quare ratione formæ potissimum conservari videtur viuentis unitas. Eadem etiam semper cernitur operatio; immò in dies perfecta magis. Eadem est figura, corporisque ac membrorum conformatio: operatio autem & figura consequuntur formam: Huc illud spectat in tex. 37. manifestam magis esse in eterogeneis, quàm in homogeneis partibus, accretionem. Nimirum tum propter operationem, quæ illis exercetur; & quidem post accretionem perfectiùs: tum propter membrorum figuram, quæ velut quantitatis terminus ad formam item pertinet. Fortasse etiam considerauit Philosophus quantitatem, & ut quantitas est, & ut talis determinata: quantitatemque absolutè consideratam vidit propriam esse materiæ; terminatam autem pertinere ad formam, unde omnis in rebus terminus. Et ideo accretionem, quæ ad quantitatem determinatam viuentique

conuenientem est motus, ratione formæ potius, quam materiæ fieri pronuntiauit. Præsertim quòd eum accretio conferatur ad perfectionem uiuentis, quòd imperfectum satis fuit genitum; ex accidente est, si in materia ad illud perficiendum addita non suscipiatur eadem numero uiuentis forma. Hoc enim ex illius formæ imperfectione oritur; quòd materialis sit, & cū materia oriri ac perire debeat. In homine, in quo perfectior inest formæ conditio, eadē numero suscipitur, si nō partium singularum forma, certē totius hominis. In reliquis, in quibus tantam assequi vnitatem naturæ nō potest, speciei saltem vnitatem assequitur; eiusdem rationis formam, tum in partibus producendo, tum in toto. In materia nulla prorsus eiusmodi vnitas cōseruatur. Idcirco accretionem, in qua idem cōseruari oportet id, quòd augetur, ratione formæ fieri dixit, non materiæ. Hanc opinor fuisse verbis illis subiectam sententiam. Sed omittendum non est, in genere quoque efficientis & finis, formæ potius, quam materiæ, attribuendam accretionem esse. Quoniam & fit ab anima, quæ uiuentis corporis est forma: & propter animam, quæ per illud corpus omni ex parte perfectum omnibusque institutum organis operatur est. Hanc enim ob causam & noua accedit quantitas, & totum corpus fit maius.

*Mate-  
riæ quo-  
que, &  
cōsum-  
pti so-  
lum au-  
geri.*

Philopono tamen assentiri non possum, qui nullo modo dici posse uoluit augeri materiam. Potius existimo, & formam, & materiam, atque ad eò coniunctum totum augeri. In accretione namque maior quantitas acquiritur: acquiri autem non potest, quin plus accedat materiæ. Immo nullam aliam ob causam augetur quantitas formæ substantiæ, tum singularum partium, tum uiuentis totius; quàm quòd augetur materia. Materiam enim quantitas comitatur, atque in maiore materia maior suscipitur forma: neque intelligi potest augeri formam, quin augetur materia. Etenim dum in poris ubique genitis alimentum suscipitur, illud sanè materia constat & forma: forma illius perit atque in uiuentis formam mutatur, uiuentisque forma augetur: materia autem additur & cum uiuentis materia coniungitur. Ut igitur additione genitæ formæ antecedens augetur forma; sic additione materiæ & quantitatis alimenti, uiuentis materiæ & quantitatis existimari debet augeri. Denique nutritione manifestum est non formam restaurari modo, sed consumptam quoque ac dissipatam materiam. Quoniam igitur nutritionem accretio sequitur; quādo plus materiæ reponitur, quàm fuerat consumptum; necessarium quoque est accretione, tum formæ, tum materiæ plus accedere.

Neque uero negauit usquā Philosophus materiam augeri; sed accretionem significauit formæ potius, quam materiæ attribuendam esse. Cuius rei dum rationem eam posuit, quoniam ex addito alimento materia partibus omnibus non augetur, formæ uero nulla est pars, quæ non crescat: confirmauit potius materiam quoque augeri, at non omnibus partibus. Cur formæ potius, quam materiæ, tribuatur accretio; iam dictum est. Cur autem materia partibus omnibus augeri nequeat, eam esse causam cognoscimus, quòd accretio accedente aliquo fieri debeat, propterea enim addit (& accedente aliquo): nec potest alimentum partibus omnibus addi. Quoniam quantum est & corporeum; sicut & materia, qua uiuentis corpus constat. Ne-

que alterum posset omnibus alterius partibus addi sine corporum & quantitatum penetratione; quam natura non suscipit. Itaque suscipitur quidem alimentum in poris, partibusque solidis omnibus adiungitur: at hæc quantæ sunt atque in aliis partes infinitas diuiduæ; quibus alimentum addi non potest. Quare solæ illæ, quibus alimentum apponitur, quòd per interiectos poros sint actu diuisæ, adueniente aliquo augeri dicuntur. Quam rationem confirmat in tex. 36. partes enim materiæ non sunt semper eadem, sed aliquæ subinde resoluuntur; quemadmodum si aqua per vltrem transeat. Quare alimenti additio fieri omnibus non potest.

Cæterum præcipua illa ratio, quæ ex corporum penetratione ducitur, locum non habet in forma. Quoniam in quantitatis solum & eis, quæ propriam quantitatem habent, consideratur penetratio. Forma propriam quantitatem non habet; sed ex accidente quantitate materiæ euadit quanta: & ideò materiam totam & omnes eius partes potest peruadere. Et ut fit quanta, dum cum materiæ quantitate coniungitur; ita dum in alimenti tota accedente materia & omnibus eius partibus suscipitur, uere dicitur partibus omnibus augeri: quia nulla est tam parua, cui non aliqua materiæ & quantitatis facta sit accessio. Cur autem materia potius, quam forma dicatur fluere; tametsi cum materia formæ quoque partes mutantur: manifestum est ex ijs, quæ antea dicta sunt.

Iam uero si & forma & materia augetur; idque additione, tum materiæ, tum formæ, quæ in accedente materia producitur: consequens est, totum quoque uiuens ex duabus hæc partibus coniunctum augeri. Immo id est, quod uere & proprie augetur, cuique primùm accretio attribuenda est, quatenus potestate est ad maiorem quantitatem suæ naturæ cōuenientem. Non solum enim in tex. 64. primi lib. huius operis uniuersè dictum est, operationes animæ omnes non esse soli animæ tribuendas (multò minus corpori) sed toti coniuncto: & in tex. 8. lib. 5. Phys. motus cuiusque subiecti oportere esse ens actu substantiamque compositam; atque hoc à substantiæ mutatione differre, cuius subiectum est ens potestate, sola prima materia. Sed etiam in specie de accretione in tex. 34. prioris lib. de ortu & interitu, eum quæreret, quid sit id, quòd augetur; id augeri respondit, in quo principium est illius motus. Principium autem est anima per calorem: totum igitur animatum corpus erit id, quòd augetur. Et in tex. 35. totum dixit augeri partibus omnibus, sed ratione potius formæ, quam materiæ. Et in tex. 38. maius totum genitum est, accedente aliquo & in eius formam mutato. Denique in tex. 37. & 46. huius lib. integram penè habet argumentationem: Idem est accretionis & nutritionis subiectum; sed nutritionis subiectum est animatum corpus; hoc igitur ipsum accretionis item subiectum fuerit. Quare in tex. 39. etiam illa distinguens, quòd alitur, quo alitur, & quòd alit: Id quòd alit ait esse animam; quòd alitur esse animatum corpus, totum scilicet uiuens; & quò alitur, alimentum.

Sed quoniam materiam quoque & formam augeri dictum est; coniunctum totum ut quòd (sic enim iam in scholis loqui consueuimus) augeri intelligitur; materiam autem & formam ut quo. Totum enim uiuens propterea augetur, quòd illius materia & forma

& forma augeantur. Et quoniam de substantia cōposita sermo est, vtrumque hoc principium per se ad totius accretionem spectat: alterum, vt patiens & materiale, quod quantitatem suppeditat accretionis materiam: alterum, vt formale & agens, & verò etiam finale. Formale, quia quantitatis terminum totiusque accretionis modum præscribit. Agens, quia accretionem totam operatur. Finale, quia propter illius commodam operationem mēbra omnia grandiora fiunt. Quapropter quod de nutritione pronuntiauit Philosophus in tex. 46, id quod nutritur, esse animatum corpus, quatenus animatum est; quoniam nutritio propria est animæ operatio: idem de accretione, quæ nutritionem sequitur, affirmare licet; Id quod augetur, esse animatum corpus, quatenus animatum est; quoniam accretio propria est solius animæ operatio: & quatenus viuentia illud habent in se principium, hac quoque operatione fruuntur. Quia dū non solum integritatis partes, tam homogeneæ, quàm eterogeneæ, per omnem dimensionem augetur; verum etiam essentia partes, materia & forma; verissimè accretio est totius viuentis operatio.

In qua illud vnum superest explicandum, quod idem Philosophus affirmavit: Idem semper viuens in accretione tota conseruari. Hoc omni motui, immò & mutationi, commune est. Quia accretioni potius cōuenit ratio generis, quo motus quidam est. In omni enim motu idem mobile corpus manere oportet sub vtroque termino. Immò & in omni mutatione; cum nil aliud sit mutatio, quàm transitus cuiuspiam subiecti mutabilis ab vno termino ad alterum. Quoniam igitur accretio transitum viuentis significat ab imperfecta quantitate ad perfectam; necesse est idem sit viuens, quod antea quantitatem habuit imperfectam, deinde ad perfectam perductum est. Huc tota spectat accretio: illiusque finis est, Viuens illud, quod genitum est imperfectum neque propter organorum imbecillitatem operari potest, ad eum promouere statum, in quo quàm optime operetur. Hoc non consequitur natura, nisi post accretionem perfectam sit idem viuens, quod principio fuerat.

Verum quàm est hoc certum & manifestum, tam incertum est & obscurum, quoniam modo id fieri possit. Etenim viuens totum duplici constat parte, materia & forma, corpore & anima. Anima in homine immaterialis est, impartibilis, minimeque à corpore pendens: neque mutata materia & corpore mutatur. Quare ratione animæ idem semper homo dici possit. At neque hæc est vnitas absoluta; cum tota hominis essentia non sit sola anima, sed corpus quoque. Deinde viuentia cætera, quæ materiales & extensas simulque cum materia & corpore mutabiles & corruptibiles animas habent, ne eandem quidem formam retinere videntur. In corpore autem æqua est hominis & aliorum omnium conditio. Nam aliquæ semper illius partes resoluuntur, alijsque ex alimento accedentibus continenter mutantur; & vt est in tex. 36, prioris lib. de ortu & interitu, tamquam aqua in vtre fluunt.

Vnum illud hoc loco dici potest esse certum, difficultatem hanc longè maximam esse: nec eam ad vnam aliquam partialem accretionem pertinere. Quia cum in hac fiat solum additio quantitatis alimenti ad existentem viuentis quantitatem; hæc ipsa remaneat necesse est, & cum ea, quæ additur, coniungatur: alioqui viuens nequaquam maius euade-

ret. Tota difficultas est de totius vitæ accretione, in qua sæpius mutatur quantitas. Et quoniam hæc non mutatur per se, sed mutationem substantiæ comitatur, renouanda est ad nutritionem quæstio, in qua substantiæ, tum corporis, tum animæ, mutatio sit: vt intelligamus tandem quemadmodum, cum toties amba hæ partes mutantur, idem tamen semper viuens esse dicatur.

Marsilius solum hominem dixit eundem numero absolute manere semper ratione formæ. Quoniam intelligēs anima nulla prorsus ex parte mutatur: sed eadem semper immaterialis cum sit & impartibilis, tum maiorem, tum minorem aduenientem materiā format; nec vnquā cum recedente consumitur. At ratione corporis & materiæ, reliquæque ite viuentia omnia tam ratione formæ, quàm materiæ, non verè & proprie, sed ampliore quadam significatione & per æquivalentiam quandam eadem numero conseruari: quòd aduenientes omnes partes similem planè figuram, situm, & dispositionem retineant. Quemadmodum fluvius idem esse existimatur; quia etsi continenter fluat & mutetur aqua, in eadem tamen est aluoco, eandemque figuram, situm, & continuationem habet. Eadem sunt quibusdam aliis sententiæ: hoc videlicet argumento, quòd cum humidum primigenium per totam vitam non cōseruetur, sed aliud subinde æquiualens ex alimento accedat; non nisi æquivalentia potest idem numero appellari.

Alij, qui vt superius dictum est, vegetantem quoque animam cogitarunt non interire ac fluere cum materia; sed eandem per totam vitam consistere & ad maiorem sese materiam extendere atque ad minorem contrahere: maiorem quidem adferunt viuentis illius vnitatem. Sed & falso nuntur principio, & neque ipsi perfectam indiuidui vnitate exponunt, sed ex parte: quemadmodum æquivalentiæ vnitas speciei; non indiuidui, vnitas est. Et neutra planè accretionis subiecto sufficiens est, in qua, vt in quolibet motu, idem numero subiectum oportet in toto motu sub vtroque termino permanere.

Propterea secus hæc de re philosophati sunt Alexander, Philoponus, Auerroës, & grauissimi quique Peripatetici. Qui tum ratione formæ, tum materiæ, hoc est secundum totum, ostenderunt idem omnino viuens conseruari. Nam cum ea sit veræ accretionis conditio, vt id quod augetur, maneat idem; quodque augetur, sit totum viuens & secundum formam & secundum materiam; viuens oportet vtriusque partis idēitatem cōseruare. Vt enim entitas, sic vnitas totius atque identitas, ex illius partibus ponderanda est. Hoc nomine nutrientem facultatem & augentem distinxit Philosophus à procreante in tex. 47. huius lib. quòd illa conseruet & perficiat idem numero viuens, in quo ipsa inest; hæc diuersum aliud numero, eiusdem tamen speciei & naturæ, producat. Accedunt macula, quæ in prima ætate contrahuntur in corpore, consequentis temporis cicatrices; quæ deinceps per totam vitam conseruantur: nec omnino tandiu manerent, si sola anima, non item corpus proprium illarum subiectum, eadem numero permaneret. Carnes quoque non leue sunt huius rei argumentum; qui post annos plurimos agnoscunt suos dominos; vt de Vlissis cane scitum est: nec vilo modo agnoscere, nisi iisdem essent numero homines; non solum ratione animæ, sed multò magis corporis;

Prima opinio.

Thomæ de Garbo quaest. 22.

Secunda opinio.

Tertia opinio.

quod materiale & sensatum est. Mitto etatum distinctionem; quæ nulla omnino esset. Certè in singulis nutritionib. & auctiõibus idè numero viuēs manere, certū est & omnib. notat si in singulis idè est necesse item fuerit esse in omnibus; quoniam si in eam nulla mutatur, nec in omnibus dici potest fuisse mutatum. In Christo autem Domino ac seruatore nostro, qui non secus ac ceteri homines alebatur & augebatur, certum est idè numero corpus semper fuisse. Tum propter admirabilem illam vnionem cum Diuino verbo; qua, vt est commune Theologorum axioma, quod semel assumpsit, nunquam dimisit; Tum quia idem numero corpus, quod ex Maria Virgine prodijt, passum est in cruce, iacuit in sepulchro, assumptū est in cælum: sic enim & Theologi omnes & veteres sancti patres & catholica Ecclesia loquuntur & sentiunt. Satis igitur non est anima aut æquiualentia identitas; sed & anima & corpus totumque omnino viuens idem numero semper esse, quamdiu uiuit, existimandum est: Atque (vt ego quidem opinor) hac fermè ratione exponendum.

*Idem numero corpus.*

Vnitas atque identitas, siquidem cuiusque rei essentiam comitantur, ex principiis eisdem, ex quibus essentia, quærenda est. Composita rei essentia ex materia pendet & forma; quæ in viuētib. sunt corpus & anima. Corpus idem semper est numero. Primum, quia humidum illud primigeniū, ex quo primum formatum fuit & in quo maximè velut primo subiecto consistit vita vnitasque viuētium, quæ ex corpore dependet; etsi continenter patitur ac minuitur, aliqua tamen ex parte ad finem vsque vitæ perdurat: atque illius consumptio natiuque caloris extinctio mors est naturalis, quæ totam naturalis vitæ periodum concludit. Neque enim viuens est quasi flumen, quod nullam habet consistentiam & firmitatem. Sed partibus hęc primigenis, velut primo ac præcipuo vitæ fundamentum, tum conseruandis, tum augendis, humidum alimenti apponitur, quod cum priore coniunctū nequaquam illius naturam mutat, sed tuetur potius ac fouet. Neque aliud propterea existimatur esse corpus, sed idem profus ad meliorem substantia & quantitatis conditionem promotum. In plantis, quæ ex minimo interdum nascitur semine, primigenia illa materia mole quidem exigua, sed virtute magna, in radicibus præsertim, interno diis, ac solidioribus partibus conseruatur: quemadmodum in animalibus quoque euenit proportionem quadam. Sed illud præterea perquam verè dici potest; non ratione modò primigenerarum partium, sed ratione quoque totius, identitatem conseruari. Nam partes omnes, quæ adduntur, ita cum antecedentibus copulantur, in earumque naturam mutantur; vt vnã cum illis vnus corporis organicam materiam efficiant. Nec solum eam, cui adduntur, non destruant, aut vlla ex parte mutent; sed resarciant, restaurent, conseruent, augeant.

*Anima eadem.*

De anima illud verissimè pronuntiare licet; alias quidem atque alias illius partes in addita materia produci (humanam animam semper excipio) nunquam tamen ita materiam totam mutari, vt nouam oporteat animam gignere: sed in omnibus hęc mutationibus satis est partem aliquam antecedentis animæ ex addita materia potestate educere. Quia in re non animæ mutatio fit, sed eiusdem, quæ erat, additio quædam & auctio. Quod & ex operatione cognoscimus; dum easdem facultates & ope-

rationes non mutatas, sed magis perfectas cernimus. Immo anima consistentiam potius adferre videtur, dum dat esse & conseruat corpus; canque ipsam operationem promittit, qua viuens se ipsum conseruat, dissipatamque substantiam refarcit.

Denique tum materiam, tum formam, eandem semper esse affirmamus. Quoniam quicquid illud sit, quod mutatur, ac nouum accedit; non per se seorsim, tamquam aliquod ens nouum, producitur; sed alteri coniunctum, tamquam illius pars, adgeneratur. Vt hanc ob causam verissimè eadem semper sit materia, eadem forma, idem profus viuens. Neque de tota hac facultate maiores sunt difficultates.

TEXTVS.

*Ἐδξεν δὲ τὸ πνεῦμα, ὅτι μίσηται τὸ σῶμα αὐτὸ καὶ ἡ ψυχή· ὅτι ἡ ψυχή ἡμιθέος καὶ ἡμιδαίμων, οὐ τὸ σῶμα τῆς φύσεως, ἀλλ' ὡς τὸ σῶμα τῆς ἐπιθυμίας· ἡ δὲ ψυχή ἡμιθεὸς καὶ ἡμιδαίμων, ὡς τὸ πνεῦμα τῆς ἀφροσύνης.*

*Conseruat enim substantiam, & conseruat est, quæque alitur. Et generationis quoque factum est: immo, quod alitur: sed talis, quale id, quod alitur. Ipsa enim substantia iam est. Generat autem nihil ipsum seipsum, sed conseruat.*

COMMENTARIVS LVI.

Tertia superest procreatrix facultas, procreatioque illius operatio. Hæ circa alimentum quoque versantur: sed quatenus non amplius ad id refertur, quod ex eo alitur; sed ad aliud illi simile producendum. Nam semen, ex quo viuētia gignuntur, pars quædam est alimenti superflua illi, quod ex ipso alitur: vtilis tamen alteri, quod ex eo procreabitur. Postquam enim abundè viuens nutritum fuerit & auctum; quod superest alimenti, ad conseruandam speciem refertur. Nam & pro qualitate & quantitate alimenti plus minusue animalia ad venerem incitantur. Quam ob causam nec pueri plantæque tenellæ, nec senes procreant, quod superfluum non habeant alimentum: dum illi quidem totum absument, vt sua corpora faciant grandiora: hi verò propter caloris imbecillitatem partem omnino habeant alimenti, suæ dumtaxat vitæ conseruandæ necessarium.

Dixit autem Philosophus, alimentum esse generationis factum; hoc est obiectum & materiam, ex qua viuētia progignantur. Aut id propterea dixit, quia semen, quod pars quædam est alimenti, vim habet à viuente acceptam, qua vt illius instrumentum possit aliud viuens procreare.

Postremò esse generationis factum, non illius, quod alitur; sed alterius similis; duplici ratione probauit. Altera; quoniam id, quod alitur iam est: quod autem gigni oportet, nondum est. Altera, quoniam nihil gignit seipsum, sed quicquid gignitur, ab alio gignitur. Propterea quòd id, quod non est, operari omnino non potest: multò minus gignere, quæ perfectorum duntaxat operatio est; vt in tex. 34. dictum est. Solum potest idem conser-

nare seipsum & per nutritionem quam diutissime  
 eueris; aut etiam accretione perficere. Addi poterat  
 tertia ratio; quoniam vis hæc gignendi viventibus  
 tributa est, vt perpetuitatem assequantur. quam  
 cum ipsa habere non possint, aliud sibi simile sub-  
 stituendo procurant. Si dissimile gignat, præter in-  
 tentionem est & quasi monstrum, vt in 4. lib. de ani-  
 malium procreatione cap. 3. Philosophus loquitur.  
 Degeneratio enim potius est, quam generatio:  
 degenerandi que principium est feminam genera-  
 re, non marem; vt eo loco traditur.

Ex his iam distincto harum operationum & fa-  
 cultatum obiecto, planius habetur operationum  
 ipsarum & facultatum definitio. Si enim nutritio-  
 nis obiectum est alimentum vt substantia, quia sic  
 viuentis substantiam renouat; nutritio fuerit ab-  
 sumptæ viuentis substantiæ renouatio: nutritrix  
 animæ facultas substantiam animati corporis ali-  
 menti assimilatione renouans ac restaurans. Eo-  
 demque modo accretionem & procreationem, aug-  
 mentumque & procreantem facultates definies.  
 Maximè omnium necessaria est nutritio, quæ ad ef-  
 fe sui que ipsius conseruationem pertinet. Dum actio  
 ad quantitatis perfectionem, & procreatio ad  
 speciei perpetuitatem referuntur.

TEXTVS.

Ἐστὶ δὲ μὴ τοιαύτη τῆς ψυχῆς ἀρχὴ, δυνάμις ἐστὶν, οὗσα  
 ἐκείνη τὸ ἔργον αὐτῆς ἢ τοιαύτην. ἢ τὴν τροφὴν παρασκευάζει  
 ἀνεργῶν. διὸ ἐστὶν ἀρχὴ τῆς τροφῆς, ἢ δυνάμις οὖσα.

Tex. 49. Quare huiusmodi quidem animæ principium facultas  
 est quæ conseruare potest id, quod eam habet, quatenus tale.  
 Alimentum autem præparat ad operandum. Quare prima-  
 tum alimentum esse non potest.

COMMENTARIVS LVII.

Expositis tribus officiis atque operibus animæ  
 vegetantis, nutrire, augere, gignere, putauit  
 Themistius admoneri nos hoc loco, nutritionem  
 omnium maximè necessariam operationem esse:  
 quippè quæ circa essentia viuentis cõseruationem  
 occupetur, neque conseruari sine ea vlllo modo  
 queat. Non idem fuit Auerrois iudicium. Sed cum  
 antea ostensum fuerit operationes hæc non posse  
 aut ab elementis aut ab alio principio, quàm ab ani-  
 ma, proficisci: nunc tandem deduci voluit, hoc il-  
 larum principium nutrientem esse facultatem, cuius  
 propria est viuentis conseruatio.

Magis accommodatè visus est interpretari Phi-  
 lophonus, quem postea S. Thomas sequutus est:  
 Aristotelem ex hæctenus dictis nutrientis facultatis  
 definitionem colligere. Cum enim initio propo-  
 suisset, ex obiecto & operatione deducturum se nos  
 in facultatis cognitionem; postquam de alimento  
 differuit deque triplici operatione, quæ circa illud  
 versatur, æquum erat de facultate dicere. Difinit  
 autem his verbis. Facultas nutriens est animæ fa-  
 cultas instituta ad conseruandum viuentis quatenus  
 tale est, hoc est in indiuiduo. Sic enim à gignente fa-  
 cultate distinguitur, quæ ad conseruandam speciẽ  
 comparata est: ad conseruandum inquam viuentis,  
 non quatenus tale est, sed quatenus alterum, quale  
 ipsum, quod gignit. Quare hoc, quod nunc dicitur

A (quatenus tale est) opponitur ei, quod antea dixit  
 in tex. 34. dum de procreatione loqueretur (aliud  
 quale ipsum) & in tex. 47. (aliud tale, quale id, quod  
 alitur). Ceterum quoniam vnaquæque res per suã  
 formam est talis, siue in indiuiduo, siue in specie: ita  
 etiam intelligenda sunt hæc verba (quatenus tale  
 est) hoc est secundum formam, non secundum mat-  
 teriam; vt in priore libro de ortu & interitu apper-  
 toribus verbis dictum est. Materia enim fluit sem-  
 per & mutatur, nouo subinde accedente alimento;  
 forma eadem manet, quod ita semper alteretur ac  
 mutetur quidquid accedit, vt viuentis formam sus-  
 cipiat: & ideo illius beneficio idem semper indiui-  
 duum perseverat.

B Alimento autem, inquit, præparat altrici fa-  
 cultati talem operationem, qua idem viuentis con-  
 seruat. Quoniam est id, circa quod ea operatur, &  
 ex quo viuentis substantiam restaurando illud con-  
 seruat. Quemadmodum, inquit Simplicius, mate-  
 ria assidens ad excitandam actionem apta perinde  
 ac sunt ligna Fabro. Propterea deficiente alimento  
 deficit vita: viuentis quod alimento priuatum  
 fuerit, subsistere diu non potest. Quia cum illius  
 substantia continenter consumatur, nec vlla ex par-  
 te refarciatur; breui tempore tota consumitur. For-  
 tasse etiam alimentum dixit huic facultati opera-  
 tionem illam præparare, quod multo antea tem-  
 pore alterari alimentum oporteat & præparari, plu-  
 ribusque modis versari & coqui, vi postrema illa  
 tandem operatio fiat, qua viuenti adiungitur, eius-  
 que substantiam reficit.

C Porro sciendum est hoc loco solius nutrientis  
 facultatis definitionem exponi; non item agentis,  
 & gignentis: quod ea facile poterant ex illa colligi.  
 Etenim si nutritrix est ea facultas, quæ conseruat  
 viuentis: altrix illa fuerit, quæ perficit & ad de-  
 bitam quantitatem perducit, vt perfecte opera-  
 tiones omnes obire possit: ac demum genitrix ea,  
 qua viuentis procreat alterum quale ipsum, speciẽ-  
 que suam tuetur.

TEXTVS.

Ἐστὶ δὲ ἡ τροφὴ, τὸ τροφόμενον, ἢ τὸ τροφόν, ἢ  
 τὸ τροφόν τὸ μὴ τροφόν ἢ τὸ πρῶτον ψυχῆς τὸ τροφόμε-  
 νον, τὸ ἔργον αὐτῆς οὕτως ὡς τὸ τροφόν, ἢ τὸ τροφόν.

Quoniam autem tria sunt: quod alitur, & quo Tex. 49  
 alitur, & alens: alens quidem est prima anima:  
 quod verò alitur, habens ipsam, corpus: quo autem alitur,  
 alimentum.

COMMENTARIVS LVIII.

Dixerat antea, animam nutritionis esse princi-  
 pium. Deinde alimentum quoque visus est  
 affirmare quoquo modo illius principium esse, dū  
 ad eam operationem præparare subiunxit. Idcirco  
 S. Thomas eum iudicauit nunc voluisse ostendere,  
 alio atque alio modo & animam & alimentum il-  
 lius actionis principia existere. Verum quoniam  
 tria omnino distinxit Philosophus potius cū Phi-  
 lopono & Auerroẽ existimandum est, eum post-  
 quã de alimento differuit, voluisse quoque distin-

Nutri-  
 trix  
 nutritrix  
 facultas  
 nutritrix  
 quæ sit

Austr-  
 cu &  
 genitri-  
 cu de-  
 finitio-  
 nes.

Nutri-  
 trix  
 nutritrix  
 facultas  
 nutritrix  
 definitio

guere & explicare ea, quæ ab alimento nominan- A tur. Hæc tria sunt, id quod alitur, id quo alitur, & id quod alit. Id quod alitur, est corpus, quod anima præditum est: totum scilicet viuens, cuius absumptam substantiam resarcire oportet ac nutritione conseruare. Id, quo alitur, est alimentum. Quibus verbis exposuit id, quod in superiori textu dixerat, alimentum ad hanc operationem præparare: nimirum tamquàm illius obiectum & materia, vt eo loco interpretatus sum. Id demum, quod alit, est prima anima: hoc est anima vegetans, quæ omnium prima est, vt verè inquit S. Thomas & potest esse sine aliis, alix autem non sine illa: aut prima facultas animæ, quæ est alitrix, vt malunt Philoponus & Simplicius: aut demum, quemadmodum placet Aueroi, anima est prima nutritionis causa, hoc est causa præcipua & natura prior facultate illa altrice, quam etiam dixit esse principium illius operationis immediatum: aut etiam comparatione caloris, quem in tex. 41. nutritionis & accretionis causam esse concessit: non tamen causam primam; sed hanc esse animam, calorem autem concausam & velut animæ instrumentum.

*Triana  
nutritionis  
efficientis  
sua.*

Itaque tria omnino sunt efficiencia nutritionis principia. Anima, tamquàm primum ac præcipuum principium; facultas alitrix, tamquàm immediatum, per quod anima operatur: calor, velut vtriusque instrumentum; de quo non multò post dicitur.

TEXTVS.

*Ἐπι τῷ ἀπὸ τοῦ τῆλε ἀνατὰ τροφῶν διχῶν τῆ-  
λος ὅτι τὸ γεννῆσαι οἷον αὐτῶν. ἐν αὐτῷ ἡ πρώτη τροφῶν  
πρῶτη, οἷον αὐτῶν.*

*Quoniam autem à fine appellare omnia æquum: finis  
autem procreare quale ipsam: fuerit vtiq; prima anima  
procreatrix quale ipsam.*

COMMENTARIVS LIX.

**E**Gidius Aristotelem existimauit duas vegetan- tis animæ definitiones exposuisse: alteram in tex. 48. per nutrientem facultatem: alteram hoc loco per facultatem gignentem. Verùm in tex. 48. non fuit definita anima, sed animæ facultas nutriens: & idè eam non appellauit animam, sed animæ principium & facultatem. Ex qua definitione aliarum item facultatum, alitricis & genitricis, colligi definitiones voluit. Atque hoc loco post traditam facultatum definitionem voluit ipsam vegetantem animam definire, quæ illarum principium est & origo. Quare vt operationes per obiectum definiuit, & rursum per operationem facultates: alitricem inquiring facultatem eam esse, quæ conseruat viuens quatenus tale est: sic animam per facultates definit. At quoniam gignere sibi simile perfectissima est huius animæ operatio, & idè veluti cæterarum finis: genitrix quoque facultas perfectissima omnium & reliquarum finis censenda est: qua viuens, postquàm in se perfectum fuerit, in aliud perfectionem suam effundit. Propterea per

eam potissimum definiuit hanc animam. Æquum est enim singula, præsertim naturalia, & ea quæ propter operationem instituta sunt, quemadmodùm anima cum suis facultatibus, nominare à fine atque per illum definire, quoniam finis præcipua est & prima causarum omnium, immò causarum causarum cuius causa sunt omnia & à qua omnia pendunt. Itaque primam animam, hoc est vegetantem definiuit eam esse, quæ gignendi sibi simile in specie vim habet.

Fuerunt verò complures, qui hunc locum ita interpretati sunt; vt planè affirmarent genitricem facultatem ita esse reliquarum finem, vt nutritrix & alitrix propter illam viuentibus tributa fuerint. In qua sententia fuerunt Philoponus in expositione tex. 19. & 42. & Auerois hoc loco; planè affirmantes nutritionem datam esse propter accretionem, accretionemque propter procreationem: vt postquàm viuentia crescendo facta essent perfecta, possent aliud procreare. Ego tamen secus sentio, atque harum facultatum vnamquamque per se & propter suam operationem tributam fuisse confido. Et Philoponus ipse, dum tex. 31. exponit, multa esse animalia fatetur, quæ genitricem careant facultate, vt vermes, & quæ ex putredine nascuntur. Complures item herbas, quæ sponte oriuntur, vulgum ferre semen: quæ tamen omnia & nutriuntur & augentur. Vis enim nutriendi eum finem habet propositum, vt consumptam substantiam restituerando conseruet indiuiduum, quemadmodum in tex. 48. apertis verbis legimus. Vis augendi, vtiliud ipsum perficiat, vt quàm optime operari possit. Vis demum gignendi, vt alterius similis procreatione species ea conseruetur, cuius indiuidua omnia caduca sunt.

Quocirca si hoc loco gignere sibi simile dicitur esse finis: præter quàm quod non nutritionis & accretionis, sed vegetantis animæ finis esse affirmatur: finem propterea Philosophus appellauit, quod vltima sit & perfectissima operatio; & idè videtur esse velut finis, quia præstantissimum quidpiam, optimum, & postremum significat; quo acquirito motus omnis intermittatur, quæscatque natura. Sic enim vegetans anima, postquàm sibi simile produxit, nil habet amplius, quod agat. Atque ita hunc locum interpretari visus est Alexander in 1. lib. de anima cap. 9.

DIGRESSIO XXVIII.  
De facultate procreatrice.

**T**ertia vegetantis animæ facultas procreatrix est. Hæc in plantis inest & animalibus. nam & planta plantam, & animal procreat animal. Totæ speciei conseruationem procurat; atque in illud incumbit sedulo, vt quemadmodum est in tex. 34. sempiternitatem atque æternitatem Dei quoquo modo assequatur. Separate mentes cælestique corpora, vt ab omni interitu libera sunt, quod aut materia aut certè contradictionis potestate, priuatione, & contrariis careant: sic æternitatem illam indiuidui sui sempiternitate perfectissime æmulantur; nec vlla opus est illis procreatione. Sublunaria omnia, quæ materiam habent, atque priuationem, & contraria; quemadmodum oriuntur, ita & occidunt. Huic caducitati tribus modis natura prouidit. Primum in se delictio procreandi ac studio